5/8 ure

BOSTON MEDICAL LIBRARY
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*

3.159



Flagellum eqvo, et camus aſino, et virga in dorſo ſtultorum. Proverb. XXVI. 3.

CHRISTIANI SCHOETTGENII

DE

SECTA FLAGELLANTIVM COMMENTATIO.

AD

AMPLISSIMVM

SENATVM WVRCENSEM

LIPSIÆ,

apud JO. CHRIST. MARTINI

cIɔ Iɔcc XI.

PATRONI AC FAUTORES MAXIMOPERE COLENDI,

DUm hactenus poſt ordinaria ſtudiorum genera, quæ tractareſoleo, aliquot etiam horas hiſtoriæ Germanicæ ſcriptoribus impendi, factum eſt, ut, quum crebra Flagellatorum fieret mentio, occaſio mihi data fuerit alios aliarum regionum coævos evolvendi, unde poſtmodum hæc *de Secta*

Flagellantium nata eſt commentatio. Quam cum Vobis, VIRI AMPLISSIMI, inſcribere deſtinarem, non abſonum fore putavi, data hac occaſione ea, quæ ad patriæ noſtræ hiſtoriam inluſtrandam facientia, in eadem lectione occurrerunt, Vobiſcum publice communicare, ne cum aliis, quæ de patria noſtra forte conſcripta ſunt, æterno ſitu pereant. Incendia certe quædam in cauſſa fuerunt, quo minus urbis patriæ res omnes adcurate iam ſciamus, noſtrum tamen eſt, reliquias ex cineribus conſervatas

con-

conligere, ut etiam urbs noſtra, quæ alias in hiſtoria Germanica non incelebre nomen eſt, aliquid habeat, quod de antiquitate ſua aliis narrare poſſit. Adgredior ergo narrationem antiquiſſimarum rerum, quæ in hiſtoriarum monumentis de patria noſtra leguntur. Et primo quidem, quod ad nomen illius adtinet, ex terminatione adparet, Wendicum eſſe, quæ lingua circa ſec. IX. X. & ſequentia his noſtris regionibus fuit frequentiſſima. Adſunt enim plurima in *in* deſinentia vicorum & urbium nomina, Döblin/Müglin/

 Coryhn/

Koryhn/ Nozin/ rc. Radicem autem ipſam vocis determinare fateor me certo non poſſe. Adferam tamen in medium coniecturas, ex quibus forte alii vera poterunt excudere. Ipſam radicem circa urbis noſtræ primordia notam fuiſſe & uſitatam, oſtendit nomen *Wirzam* Obotritorum Regis, *qui ad Albiam in Hiliuni interfectus eſt*, Regino Chron. lib. 2. apud Piſtorium Script. R. G. tom. 1. p. 31. Alius occurrit *Wucronin*, quem Henricus Imp. cum exercitu ſuo fugavit, Lambertus Schafnaburgenſis ad

a. 934.

a. 934. Caſpar Bruſchius, Poeta ſeculi XVI. in Elegia de Mulda flumine & adiectis locis Lipſiæ 1544. 8. edita pag. ult. nomen *Wurcenæ* noſtræ ab *herbis* ſive radicibus deducit. Verba ſunt hæc:

Altera quin etiam, quæ nomina ſumſit ab herbis,
Quarum eſt per totum copia dives agrum.

Nec id quidem ſine ratione. Teſtatur quippe Gobelinus Perſona Coſmodrom. ætat. 6. c. 39. *quod apud Francos* (forte etiam apud Saxones) *herba* Würtze *dicatur.* Et

 inde

inde etiam deducunt nomen *Würzburgi*, celebris urbis. Guntherus Ligurino 5. 322.

Undique magnifici proceres ad magna vocati
Conveniunt, urbemque petunt, cui nomen ab herbis.

Et Jo. Scholaſticus, Sacerdos & Conventualis Cellæ ſuperioris, in deſcriptione Herbipoleos p. 1. (qui liber MS. eſt in Bibliotheca Paulina: an editus ſit, mihi non conſtat,) Wirtz *enim*, inquit, *novum vinum, id eſt, muſtum ſignat*, Wurtz *autem odoriferam herbam aut radicem, nonnunquam bene*

olentia

olentia aromata, quæ vulgus Specerey *vocat.* Adtuli ergo in medium, quæ potui, quamvis ea adplicare, & certi quid definire non poſſim. Fortaſſe docebit tempus, quando plures a me libri evolventur, nam diu ſatis temporis inſumſi, antequam hæc, quæ modo dixi, conligere potui.

Prima vero noſtræ patriæ mentio fit circa a. C. 984. quo tempore ultimus (ut a quibusdam vocatur, fortaſſe etiam fuit primus) Comes Wurcenſis, Eſico nomine, Comitatum ſuum, ad quem pertinuere *Wurcena*, *Bi-*

cha, *Beicha*, & *Lubenicium*, ſive *Læbnicium*, Volchuldo Epiſcopo Miſnenſi vendidit, quam ipſam venditionem Otto III. Imp. Havelbergæ auctoritate ſua confirmavit, teſtibus Fabricio in Annalibus urbis Miſnæ ad a. 994. fol. 22. & Albino tit. 10. p. 114. Aliter hæc enarrat Antonius Weckius in Chronico Dresdenſi part 1. tit. 1. p. 2. qui ait, Comitatum Wurcenſem, qui morte Eſiconis ſecuta ad Imperatorem pervenerat, ab ipſo Imp. a. 995. teſtante id diplomate Havelbergæ d. 3. Octobr. eiusdem anni conſcripto, Epiſcopatui Miſnen-

ſi do-

ſi donatum eſſe, ad quem præcipue *Worzin*, *Pichen*, *Pobus*, *Geriſcho* & alia quædam numerata fuere. Verum quid de hac re ſentiendum ſit, ex iis, quæ ſtatim ſequentur, adparebit. Eſiconem vero noſtrum Albinus tit. 22. fol. 285. Comitem Wethinenſem, Merſeburgenſem & Pliſſenſem perhibet, ex gente Wittekindi ortum; & recte id quidem. Pater enim ipſius fuit Guntherus, Comes Pliſſenſis & Oſterlandiæ, qui ſex filiis, & inter hos Eſiconi, terras ſuas diviſit. Auctor Chronici Lipſienſis maioris 4. 3. ubi

maiores

maiores etiam ipſius ad Wittekindum usque recenſentur. Eſiconis ergo noſtri fratres a. 955. in prælio contra Hungaros ad Licum Sveviæ fluvium geſto plerique mortui erant, & prolem maſculam ex ipſis nemo reliquerat. Noſter igitur Eſico videns ſecum totam ſuam familiam eſſe exſtinguendam, vivus adhuc bona ſuæ portionis Volchuldo Miſnenſi Epiſcopo vendidit. Sunt quidam, qui tradant, factum id eſſe demum circa a. C. 1007. Verum ut taceam, Volchuldum, ſive, ut ab aliis adpellatur, Volchradum Epiſco-

pum

pum eo tempore in vivis non amplius fuiſſe, quippe qui, ut ex Ditmaro Chron. Martisb. lib. 4. p. 67. & Fabricio conſtare poteſt, iam a. 994. fato ſuo functus eſt, aliæ accedunt circumſtantiæ, quæ oſtendunt, rem multo aliter geſtam fuiſſe. Duo ergo fuere Eſicones, unus Comes Wurcenſis, de quo modo egimus: alter vero fuit ultimus Comes Merſeburgenſis, qui prælio contra Boleslaum Poloniæ Ducem & Wendos Linticos ſive Luiticios a. 989. interfuit, de quo Ditmarus lib. 4. p. 70. 71. Hic a. 1007. Lipſiæ obiit, & Mar-

tisburgi

tisburgi in templo D. Ioanni conſecrato ſepultus eſt. Fuit autem forte poſterior ille Eſico ex familia noſtri, quod adeo adcurate non conſtat, ſuſpicor tamen illum ex fratribus patruelibus noſtri Eſiconis vel eius parentis Guntheri, ex gente Wittekindea, fuiſſe. Quanquam ergo, ut ex modo dictis conſtat, Wurcena cum diſtrictu ſuo ad Epiſcopos Miſnenſes emtionis iure pervenerat, iurisdictio tamen Eccleſiaſtica penes Martisburgenſem Epiſcopatum permanſit, cui eam procul omni dubio Otto I. Imp. eius fundator ſubdiderat,

rat, niſi forte quis certo probare poſſet, Ottonem II. inter ea, quæ Giſilario, ſecundo Martisburgenſium Epiſcopo donaverat (quorum nomina apud Ditmarum lib. 3. p. 47. ſunt *Chorin*, Kühren/ *Niriechua*, Nerche/ *Bucith*, Pauſitz/ *Cothug* (N. L.) & *Borinthiz*, Bortizſch/ non procul a Taucha diſtans) etiam Wurcenam dono dediſſe, quod tamen ex ante dictis non eſt credibile. Quicquid autem ſit, hoc certum eſt Giſilarium modo dictum, quum Archiepiſcopus Magdeburgenſis crearetur, Merſeburgenſem Epiſcopatum miſere di-

 lace-

laceraſſe, quod teſtantur Lambertus Schafnaburgenſis ad a. C. 982. & Paul. Langius in Chron. Citicenſi ad a. 981. Magnam eius portionem accepere Epiſcopi Miſnenſis, Cizenſis & Halberſtadenſis: novem vero ſequentes urbes, & optimas quidem, ſibi retinuit Giſilarius, & Magdeburgenſi Archiepiſcopatui ſubiecit, quarum nomina ſunt hæc: *Scudici*, Schkeudiz/ *Cothug*, (Köthen quidam volunt, ſed hos refutat diploma Ottonis II. qui Cothenum Thiemoni Comiti donavit a. 973. Vide Becmanni Hiſtor. Anhaltinam

part.

part 3. l. 4. c. 1. §. 1: melius ergo ii, qui h. l. ἐπέχειν adripiunt) *Worzin*, Wurtzen/ *Bigni*, Bichen/ *Ilburg*, Eilenburg/ *Luibanici*, Löbniz/ *Dibni*, Düben/ *Pue* vel *Pungi*, Beicha/ (non *Pegavia*, ut quidam volunt,) *Gezeriſca* Gröizſch/ bey Eilenburg. (non Gerichshäyn) Vide Ditmarum lib. 3. p. 56. Anonymum in Chronico Magdeburgenſi apud Meibomium tom. 2. Script. R. G. p. 278. Simonem in Chron. Ileburg. part. 3. p. 497. 498. & alios. Facta hæc ſunt circa a. C. 981. 982. & Wurcena noſtra ſub ditione Archiepiſcopi Magdeburgenſis fuit

usque ad a. 1015. quo Gero Archiepiſcopus Magdeburgenſis & Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis in villa *Machern* convenerunt, & Gero Ditmaro anxie ſollicitanti iurisdictionem in quatuor urbes, *Wurcenam*, *Bicham*, *Kothug*, & *Schkeudiz* d. 25. Octobr. reddidit; conſentientibus Henrico II. Imp. & Hildewardo Epiſcopo Miſnenſi. Ditmarus l. 7. p. 202. 203. Brotuffius Chron. Martisb 2. 7. Simon Chron. Ileburg part. 3. p. 501. 502. Quo facto ſtatim *Wurcena* & *Bicha* Epiſcopatui Miſnenſi adplicatæ ſunt ab Hilde-

vvardo

wardo, teſte Simone l. c. & ipſa quoque re comprobante. Nam ſequenti a. 1017. d. 22. Febr. Ditmarus, ut ipſe ſcribit lib. 7. p. 222. Henricum Imp. Magdeburgi præſentibus compluribus Archiepiſcopis & Epiſcopis rogavit, ut Eilbardus Epiſcopus Miſnenſis diœceſes ſuas ultra Muldam verſus orientem ſitas ſibi reſtitueret. Verum nil conſequi potuit, ſed Miſnenſis Epiſcopus illas retinuit, partemque Ditmaro cis Muldam Merſeburgum verſus ſitam reliquit. Mutationes iſtæ, de quibus modo diximus, omnes de

Eccleſiaſtica iurisdictione ſunt intelligendæ, Dominium enim & adminiſtratio Politica penes Epiſcopos Miſnenſes immobilis permanſit. Porro Monachus Pegavienſis in Chronico Comitis Wiperti p. 319. narrat, Wipertum monaſterio Pegavienſi a ſe fundato duabus villis dotaſſe, quarum una *Hilperiz*, altera vero *Wurcena* dicta, quibus addidit prata, paſcua, vineas & molendina ad eas pertinentia. Ex eodem Chronico Pegavienſi tradit Albinus tit. 22. fol. 286. Wipertum Comitem VVurcenam iſtam a. 1085. muris

circum-

circumdediſſe, & pro conditione iſtorum temporum muniſſe. Verum hæc de noſtra patria non poſſe intelligi ex ſequentibus conſtat (1) quia Wurcena noſtra iam a. 1015. urbis nomine gauiſa eſt, & antea Comitem habuit, ſequentibus vero temporibus inter villas numerata non eſt. (2) Epiſcopi Miſnenſes illam ſemper retinuerunt. (3) Vinea circa Wurcenam non datur niſi una, quæ hodieque hoc nomine venit, ſed, quum admodum amara proferret vina, coli deſiit. Arbitror ergo, Wurcenam iſtam fuiſſe vil-

lam aliquam non procul a Pegavia diſſitam, & ſub ditione Wiperti Comitis tunc exiſtentem.

Circa gentilem religionem in primordiis huius urbis heic locorum florentem non habeo quæ adferre poſſem, præterquam quod a. 1017. Wendorum quædam cohors Muldam tranans, Deam quandam cum quinquaginta illius ſacrificulis in aquis amiſerit. Ditmarus l. 7. p. 230. Meliora ſacra poſtquam edocti erant harum regionum incolæ, Hervicus Epiſcopus Miſnenſis in ordine duodecimus, qui a. 1107.

electus

electus eſt, ædem dominicam, incertum quo anno, fundavit, & *Collegiatam Eccleſiam Cathedralis Eccleſiæ Miſnenſis* vocavit. Ipſe quoque poſtea a. 1118. d. 27. Junii mortuus, in ea ſepeliri voluit, cuius monumentum usque ad a. 1542. clathris ligneis circumdatum exſtitit, quo anno a nobili quodam, quem Spigelium vocat Fabricius, apertum, & poſtea neglectum eſt. Paullus Langius in Chron. Citicenſi ad a. 1107. Fabricius ad eund. annum, Albinus tit. 22. fol. 285. 286.

Siſto hic pedem, promiſſioni meæ poſtquam ſatisfeci, qui primordia ſaltem noſtræ patriæ me traditurum promiſeram. Non enim iam integrum Chronicon concinnare animus eſt, ſed ea tantum cum civibus meis communicare, quæ hactenus in lectione hiſtoricorum occurrerunt, non ab omnibus animadverſa. Interim non inficior, me hactenus meditatum eſſe editionem Chronici Wurcenſis, quæ tamen certas ob cauſſas erit differenda. Illius ergo inſcriptio Vobis deſtinata erat, VIRI AMPLISSIMI,

ſed

ſed ne tardus nimis eſſem in referendis Vobis pro vario beneficiorum, quibus me hactenus adficere voluiſtis, genere, gratiis, aliam ex hiſtoria Germanica particulam Vobis, PATRES PATRIÆ dulciſſimæ, inſcribere debui. Et merito quidem ſuo id a me fieri poſtulavit cultus, quo Vobis ſum obſtrictus. VESTRO etenim beneficio locum quendam in inluſtri Schola Portenſi obtinui, quæ, ut paucis me expediam, cumulus quidam eſt omnium illorum, quæ ſtudioſis iuvenibus in proſequentis ſtudiis adiu-

mento

mento & uſui eſſe poſſunt. Ad me certe quod ſpectat, iucundiſſima ſemper eſt recordatio illius bonarum mentium officinæ, quæ tanta mihi exhibuit, ut plusquam filiali cultu illa mihi nullo non tempore ſit proſequenda. VESTRO beneficio ex eadem bonis avibus reduci ſtipendium mihi in hac Academia magnorum virorum ductu atque auſpicio militanti largiter quoque eſt ſolutum. Qua ipſa re ſtudiis meis magnum ſubminiſtratum eſſe adiumentum lubens fateor. Hæc ergo me impulerunt, ut pu-

blice

blice gratum Vobis, VIRI AMPLISSIMI, animum declararem, & VOS hæc nec ingrato nec immemori feciſſe oſtenderem. Si nulla forte dabitur occaſio, VESTRÆ vel Scholæ vel Eccleſiæ in patria inſerviendi (ad quod certe macra admodum ſpes mihi oſtenditur, quum veriſſimum eſſe comperiar effatum Servatoris, *non magnopere æſtimari Prophetam in patria*) certe divinum Numen, cuius me honori totum mancipavi, ea beneficia largiſſime in VOS refundet, VOSque omni bonorum genere lætari ſem-

per

per faciet. Quod ut fiat, precibus meis pro VESTRA, VIRI AMPLISSIMI, incolumitate cœlum pulſare nunquam deſinam. Valete, & porro mihi favete. Dabam Lipſiæ, Kalendis Maii, cIↄ Iↄ cc XI.

LECTORI S.

EXhibeo Tibi, L. B. Commentationem de Secta Flagellantium, de qua multa præfari non erit neceſſe. Indigitare ſaltem volui, me poſt Hoſpinianum de origine Monachorum, & Abbatem Boileau, quibus me quædam debere confiteor, rem debito ordine propoſuiſſe, quam plurima vero ab iis omiſſa ſuppleſſe. Diſcrimen inter meum opuſculum, & Boileavii Hiſtoriam Flagellantium hoc eſt, quid hic omnem de uſu & abuſu Flagellationum hiſtoriam contexuit; ego ſaltem de Secta Flagellantium, quæ ſeculo præcipue XIII. & XIV. floruit, ago. Plura erant adferenda, ſed deficiunt rari quidam & boni libri, quos ego hactenus fruſtra quæſivi: deficiunt & quædam MSS. quæ hactenus inquirere non potui, fiet autem in poſterum, quando lectores pariter & emtores copioſos inveniet libellus, ut, ſi benignos invenero bibliothecarum quarundam cuſtodes, etiam ex his plura adferre poſſim. Pedem figere hic volebam, ſed eſt adhuc aliquid, de quo Lectorem benevolum monere debui. Nimirum ego hacte-

nus

nus a quam plurimis pro novellarum latinanum, quæ hic apud nos prodeunt, Auctore, & quidem cum elogio parum mihi grato, habitus fui. Jam quidem iudicium mihi de Novellis iſtis minime adrogo, quæ an bene, an vero ſecus elaboratæ ſint, aliorum erit diſquirere: diſplicet tamen addito meo nomine ſequius de ipſis iudicari. Quam ob cauſſam publice hic teſtari volui, *me quidem ſuperiore anno aliquot iſtarum Novellarum plagulas ægrotante tunc beato Meiſtero elaboraſſe; iam tamen earum, & præcipue illorum, quæ male a multis ſcripta clamantur, auctorem nec eſſe, nec a quoquam haberi velle.* Hæc tuendæ famæ & exiſtimationis cauſſa hoc loco addenda fuerunt, ne male in poſterum audire invitus cogar. Vale Lector, & mihi fave.

DE

De
SECTA FLAGELLANTIVM
CAPVT I
DE VARIIS FLAGELLANTIVM NOMINIBVS.

Argumentum.

Flagellatorum nomina 1. Flegeler/ Bengeler. 2. Tritæ. 3. Plagiferi, Geiſſel-Brüder. 4. Cruciferi, Crucifigeri, Crucifratres, Cruciflagellatores. 5. Circumcelliones, Choriſantes. 6. Poenitentes, Devoti, Acephali. 7. Beghardi. 8. Fratres in Albis. 9. Excuſatio.

FLAGELLATORVM, ſive *Flagellantium* & *Flagellariorum*, ut ab Herm. de Lerbeke in Chronica Comitum Schavvenburgenſium apud Meibom. t. 1. Script. Rerum Germ. p. 516. vocantur, nomen originem ſuam Latio debet, quod cuivis facile patet. Et res ipſa loquitur, ut ex infra dicendis con-

ſtabit, quod ab actu huius ſectæ præcipuo, & qui maxime in oculos aliorum cadebat, a *flagellando* ſcilicet, dicti fuerint. Quod ipſum nomen in Germanicam quoque lingvam translatum eſt, in qva illi Flegeler dicuntur. Ita enim Petrus Viſſelbeccius in Chron. Huxarienſi ad a. 1411. *Anno MCCCCXI. inſaniebat Flegelorum ſocietas.* Auguror exinde germanicam vocem Flegel olim *flagelli* quoque ſignificationem habuiſſe, qvamvis & alia eius notio, qva inſtrumentum tritorum hodie dicimus, etiam tunc temporis in uſu fuiſſe potuit. Oſtendit hoc Anonymus Erpheſphordienſis in Hiſtoria de Landgraviis Thuringiæ c. 155. apud Piſtorium tom 1. Script. R. G. p. 953. qvi ſectam hanc *ſocietatem Tritarum, id eſt, der Flegelern* vocat, procul dubio eam ob cauſſam, ut ad l. c. Viſſelbeccii notat Celeb. Paullini, *qvia colluvies hominum fuit ex ima plebe, meſſoribus puta, trituratoribus, & colonis undiqvaqve collecta.* Et fortaſſe trituratores illi inſtrumentum ſuum trituratorium, & alia vaſa ruſtica ſecum ſumſerunt, ut in tumultibus alias fieri ſolet. Coniungendum huic eſt Germanicum itidem vocabulum Bengeler/ a Bengel/ qvod notat lignum aliqvod magnum ſive trabem, cuius auxilio res graviores ſuſtolli poſſunt: *vectem* alias vocamus. Occurrit hoc nominis in verſibus apud Viſſelbeccium l. c. exſtantibus.

Flege-

Flegelus & Bengler paſſim prædantur in orbe,
Hos ſocios certe crux, rota, furca manent.

& Theodorus Engelhuſius Chron. p. 291. *Bengelenſes* vocat, procul dubio, qvia eiusmodi vectibus inſtructi erant, quibus tum innitebantur, tum ad defenſionem ab hoſtibus utebantur, qvam ob cauſſam qvoqve *Fuſtuarios* eos vocavit Henr. Meibomius Senior ad Gobelinum Perſonam 6. 93. Nec immerito qvis adfirmare poſſet, convitium noſtratium, qvo hominem nauci einen Flegel oder Bengel vocamus, ab his Flagellatoribus originem ducere. Fuit enim colluvies hominum nullius momenti, qvi ſub prætextu qvidem religionis, revera vero laborum pertæſi, & ſpe melioris fortunæ ducti cum aliis otioſi circumcurſitarunt, rechte Flegel und Bengel / ut eos vocat Paullini.

2. Hoc ipſo porro reſpectu ſecta noſtra *Tritarum ſocietas* a Monacho Erfordienſi modo citato, & *tribularia factio* a Fabricio Originum Saxon. lib. 7. vocatur. Non poſſum ergo probare quæ ſcribit du Freſne in *Trita*: *Sic dictæ qvædam militaris turma ſeu ſocietas, forte qvod armorum vice flagella ruſtica deferret, vel qvod blada ſeu triticeas meſſes paſſim detereret: nam alii fuere a Flagellatoribus, de qvibus ſupra egimus.* Ea ipſa vero quæ adfert, non aliis locis qvam ex Monacho Erfordienſi petitis probat; ex qvibus tam certe noſtram probamus ſententiam,

 tiam,

tiam, ut non opus eſſe putemus, eam prolixius adſtruere, & virum illuſtrem refutare.

3. Ob verbera autem & plagas continuas, qvibus ſe perpetuo adficiebant, *plagipatidas* & *plagiferos* eos nominat Fabricius in annalibus urbis Miſnæ ad a. 1349. ob flagella, quæ ſecum continuo geſtarunt, *μαςιγοφόρυς ἀνιάντυς* ex neſcio quo Poëta, Cruſius Annal. Svevic. part. 3. lib. 4. 14. p. 245. Germ. Geißler oder Geiſſelbrůder. Levoldus Northovius in Catalogo Epiſc. Colon. tom. 2. Meibomii p. 10.

4. Qvia vero, ut infra occurret, ſecta hæc vel potius turba, eiusmodi duces ſeqvebatur, qvi cruces in manibus geſtarunt, ipſorum qvoqve Flagellatorum veſtes & ante & retro crucibus erant inſignitæ, factum hinc eſt, ut *Cruciferorum* qvoqve nomine eos adpellaverint hiſtorici. Labbeus Chronol. Hiſtorica tom. 3. p. 206. Qvod ipſum nomen a barbarorum ſeculorum ſcriptoribus, qvi originationem non admodum adcurate perpendebant, etiam *Crucifigeri* ſcribitur. Auctor Compilationis Chronologicæ apud Piſtorium tom. 1. p. 746. *Anno Domini MCCC IX. primi Crucifigeri ibant.* Vide eundem p. 747. 748. Ex *cruce* & *flagellis* coniunctis aliud nomen, *Cruciflagellatorum* ſcilicet, emerſit. Wernerus Rolevinck in Faſciculo temporum ætate 6. apud Piſtorium tom. 2. p. 85. a. *Et eodem anno ſurrexerunt* m ccclı. *Cruciflagellatores.* Qvas voces diviſim quoqve ſcribit

bit Auctor vitæ Clementis VI. apud Baluzium in vitis Pontificum Avenionenſium tom. 1. p. 260. *Et iſto durante tempore* (1350.) *inſurrexit qvædam ſecta peſſima crucis flagellatorum.* Germanis eandem ob cauſſam dicti ſunt eo tempore Creutz-Brůder / vel dialecto Saxoniæ inferioris Crutz-Brǒder. Auctor Compilationis Chronologicæ a Madero poſt Gervaſium Tilberienſem editus p. 134. *a. 1309. Flagellatores ſive* Crůc-Brǒder *currunt per mundum.* Qvi hoc nomen latine verterunt, *Crucifratres* adpellarunt. Gobelinus Perſona Coſmodrom. ætat. 6. c. 93. *qvod ſecta eorum fratres Flagellatores, ſeu Crucifratres diceretur.*

5. Qvia porro vagabundum erat hoc hominum genus, nec uni cuidam urbi aut regioni adſtrictum, ſed per integra regna & populos circumcurſitabat, *Circumcellionum* qvoqve nomine veniunt Fabricio, loco proxime citato, ad a. 1260. qvi tamen non cum illo monachorum genere confundendi, qvi eodem nomine venerunt, & ab Hildebrando de Religioſis eorumqve variis ordinibus p. 7. 8. memorantur. Neſcio an huic qvoqve ſectæ *Choriſantium* nomen debeam adtribuere, cuius meminit Rolevinckius l. c. p. 86. *ſecta choriſantium tranſivit anno Domini* mccclxxxiii. Dubius animi ſum, eo tamen magis inclino, ut nomen iſtud noſtræ ſectæ adſeram. Tempus enim coincidit, & non dubium eſt, qvin Flagellatores per urbes &

 agros

agros circumcurſitantes, choreas qvaſi ducere aliis viſi fuerint. Addo, qvod alia *Choriſantium* ſecta, qvantum mihi qvidem conſtat, eo tempore in Hiſtoria Eccleſiaſtica non occurrat. Sed liceat dubitare, donec ſerenior in hac re nobis lux adfulgeat: non enim hanc coniecturam pro veritate cuiqvam obtrudimus.

6. A re ipſa, quam flagellatione ſua pro iſtorum temporum conſuetudine maxime intendebant, poenitentia ſcilicet, qva iratum Numen placare ſe poſſe credebant, ſe ipſos *Poenitentes* vocarunt. Auctor vitæ Clementis VI. alius a iam adducto, apud Baluzium. l. c. p. 319. *Qvo anno in Alamannia ſurrexit qvædam ſecta peſtifera gentium, qvæ ſe poenitentes cruciferos, ſeu flagellatores appellabant.* *Devotos* eosdem ob ſingularem, qvam præferebant, devotionem, annumqve 1260. qvo Flagellatores Italiam pervaſerunt, *generalem devotionis annum* in Italia vocatum eſſe teſtatur Sigonius de Regno Italiæ lib. 19. p. 97. & de Epiſcopis Bononienſibus lib. 3. non longe ab initio. Qvod auctor eius ſectæ fuerit incertus, *Acephalos* eosdem nominatos fuiſſe teſtatur Krantzius Vandaliæ 8. 29. *gentem ſine capite* vocat Herm. de Lerbeke in Chronico Comitum Schawenburgenſium apud Meibomium tom. 1. p. 516. Non confundendi tamen ſunt cum aliis Acephalis, ſeculi VII. hæreticis, qvi unam ſaltem in Chriſto voluntatem docuerunt, & alias Monotheletæ dicti ſunt, de qvibus

qvibus Gobelinus Perſona ætat. 6. c. 32. Cave Hiſtor. litter. ſcript. Eccl. p. 369. & Chladenius in diſſert. de Monothelismo Honorii Papæ.

7. Video præterea *Beguardos* qvoqve a qvibusdam vocari Flagellatores noſtros, vel ſub generali eorundem nomine comprehendi. Auctor operis de temporibus mundi Norribergæ 1493. in grandi folio impreſſus, (qvem librum ſuppeditavit Bibliotheca Paullina) fol. 235. a. *Beghardi ac ſecta Flagellantium, qvi ſe nodoſis flagellis cruciarunt, in Germania ac cæteris regionibus graves errores induxerunt.* Et Jo. Gerſon in opuſculo qvod contra hanc flagellantium ſectam ſcripſit n. 8. *Lex Chriſti freqventer prohibuit multas obſervationes Beghardorum & Beghardarum, qvæ in prima ſui introductione prætendebant ſpeciem magnæ religionis, ac multi fructus ſpiritualis in animabus, & exempla ſalutis & auſteritatis.* Fuerunt autem *Beguardi*, qvi alias qvoqve *Spirituales*, *Beguini* & *Fratricelli* dicebantur, nihil aliud, qvam ſecta Mendicantium, quæ ſeculo XIV. oriri coepit, & usque ad Reformationis tempora hinc inde divagata eſt: de qva conferri merentur qvæ ſcripſit Henr. Warton in Append. ad Celeberrimi Cave Hiſt. litter. ſcript. Eccl. p. 1. & de eorum erroribus Conradus de Monte puellarum cuius fragmentum legitur in Bibliotheca PP. Pariſina anni 1654. tom. 4. part 2. col. 839. ſ. Ab aſperitate habitus *Bagardos* dictos eſſe notat Gobelinus Per-

 ſona

ſona l. c. Sub hoc ergo generali nomine noſtri qvoqve Flagellatores ſubaudiebantur, qvia in hoc conveniebant, qvod utriqve non uno in loco ſe tenebant, ſed potius circumcurſitando cultum ſuum rite ſe peragere credebant. In hoc ſolummodo erant diverſi, qvod Beguardi mendicando aliis eſſent moleſti, Flagellatores vero, ut inferius audiemus, id non facerent.

8. Tandem eos etiam *Fratres in Albis* dictos eſſe conſtat, & huius qvidem denominationis in Pruſſica tantum hiſtoria fit mentio. Nam eam, teſte Hartknochio in Hiſtoria Pruſſiæ part. 2. c. 5. p. 464. & in Hiſtoria Eccl. Pruſſiæ l. 5. p. 237. 238. circa a. C. 1324. *Fratres in Albis* vel *Albati* peragrarunt, qvi nomen ſuum a palliis albis cruce viridi inſignitis acceperunt. Hi præter multa alia, qvæ iactarunt, reſtitutionem terræ ſanctæ promittebant. Et in Germania a multis, inter qvos & Principes viri erant, pecunia ſublevati ſunt. Qvi et a qvibusdam Germaniæ Principibus ad Magiſtrum Pruſſiæ ſyſtaticas litteras adferebant, in qvibus rogabatur Magiſter, ut illos ſuo auxilio ſublevaret. Ille autem fraudes eorum ſubodorans audire eos noluit, qvapropter brevi poſt tempore ſocietas iſta, vel ſecta potius, interiiſſe dicitur. Hæc ex Simone Grunovio Tract. XI. cap. 11. & Coeleſtino Mislenta in Prolegomenis ad Manuale Pruthenum enumerat Hartknochius, nec tamen iis fidem tribuere vult. Non enim ſeqvi

ait,

ait, licet Magiſtro Pruſſiæ a Germanorum Principibus adlatæ eſſent litteræ, eos poſtea revera qvoqve in Praſſiam veniſſe, qvum præterea ex Pruſſicis ſcriptoribus nemo vel veterum vel recentiorum aliqvam eorum mentionem fecerit. Ipſe ergo eo potius inclinat, ut dicat, Grunovium fortaſſe *Flagellatorum* ſectam voluiſſe deſcribere, qvi eodem tempore diverſas regiones pervagati ſunt, qvamvis hi non virides, ſed albas, in palliis & veſtibus cruces geſtarint. Nos hæc, qvemadmodum ex Hartknochio diſcere licuit, huc deſcripſimus, cæterum cuivis certiora nos docenti, libentes adſurgemus.

9. Et hæc de nominibus Flagellatorum, qvæ ideo paullo prolixius deducere voluimus, qvia nomina, quæ, ut adparet, noſtræ ſectæ a variis varia adtribuuntur, res indigitant, ſine eorum vero cognitione de rebus certi eſſe non poſſumus. Nec eſt, qvod qvidam, qvi ſe *realiores* eſſe putant, hoc verba indagandi ſtudium inſuperhabeant, nam qvi de Flagellatorum nominibus incertus eſt, huic etiam multa probatorum auctorum loca facere dubia poſſumus, in qvibus non qvidem expreſſe *Flagellatorum* nomen, aliud tamen ſimile occurit. Sed hæc hactenus.

CAPVT II.
DE OCCASIONE SECTÆ FLAGELLANTIVM.

Argumentum.

1. Cauſſæ & occaſiones duplices ſunt: Generales. 2. Satanas. 3. Pontificis Romani tyrannis. 4. Verbi divini neglectus. 5. Perſvaſio de bonitate ſuorum operum. 6. ruditas & barbaries illorum ſeculorum. 7. cleri malitia. 8. Magiſtratus vitia: Speciales. 9. Flagellatio ſui ipſius inventa. 10. Bella inteſtina Italiæ. 11. Peſtis univerſalis.

Hiſtoriam noſtrorum Flagellatorum qvando conſideramus, adparet eos ſeculo XIII. & XIV. præcipue viguiſſe. Qvorum ſeculorum ſi qvis ſtatum tam Eccleſiaſticum, qvam Politicum perpendet, adparebit, fieri aliter non potuiſſe, qvam ut tales in toto orbe Chriſtiano regnarent ineptiæ. *Occaſiones* ergo huius ſectæ ut eo melius proponamus, eas optime in *generales*, qvæ ineptiarum eiusmodi in genere cauſſæ eſſe poſſunt: & *ſpeciales*, quæ huic præcipue ſectæ fuerunt propriæ, diſpeſcimus.

2. Inter generales cauſſas huius ſectæ peſtiferæ primo loco referimus *Satanam* iuratum illum humani nominis hoſtem, qvem, ut omnium

omnium malorum, ita & harum turbarum, qvas Flagellatores in variis regnis egerunt, incentorem fuiſſe nulli dubitamus. Confirmat nos in hac ſententia laudatus Krantzius Vandalia 8. 29. *Secta flagellantium tum vehementer increvit per provincias, incertum qvo auctore primum inſtituta, niſi illo, qvem cæteris non vigilantibus tradit evangelium ſuperſeminaſſe zizania.* Et in Metropoli 9. 44, poſtqvam varia Flagellatorum tormenta, qvibus ſemet ipſos adfecerant, enumeraverat, notabile hoc epiphonema adjicit: *Habet enim inter mortales & diabolus martyres ſuos.* Nimirum qvod ad prius attinet, dormientibus paſtoribus, hoc eſt, auditores ſuos officii ſui non rite admonentibus, facile peregrina aliqva a dæmone excogitata religio eos inceſſere potuit, qvam optime novit Satanas ingentes in Republ. Chriſtiana turbas eſſe moturam. Nec male ut opinor judicabit, qvi dicet, homines ruſticos & agreſtes, qvi iis temporibus duro admodum jure dominis ſuis ſubditi erant, laborum & ſervitii ſui pertæſos, ad res novas moliendas, fuiſſe excitatos. Horum enim conditionem in Germania duriſſimam eo tempore fuiſſe, docet vir ſtrenuiſſimus pariter & doctiſſimus Joachimus Potgieſerus, Cohortis pedeſtris Subcenturio in erudito admodum libro *de conditione et ſtatu ſervorum apud Germanos.* Certe eandem ob cauſſam notum eſt Seculo XVI. ruſticos in Thuringia & Haſſia

immenſas

immenſas turbas moviſſe, quæ non niſi multo ſangvine fuſo deleri poterant. Ad poſterius vero qvod ſpectat, Diabolum qvoqve ſuos in humano genere habere martyres, cuivis planum erit, qvi perpendet, qvantopere hodieqve homines luctentur, qvam omnibus viribus elaborent, ut ad infernum tandem poſt hanc vitam perveniant. Non jam de gravioribus, ut cum vulgo loqvar, ſceleribus mihi ſermo erit, qvalia ſunt furtum & latrocinium, qvæ certe non minori labore & opera, qvam periculo corporis & fortunæ exercentur. Subtiliora tantum qvædam adtingo, ut adſerti mei veritatem eo magis probem. Commune apud multos vitium eſt profanatio diei dominicæ, qvam qvi amant, hos optimo iure Diaboli martyres adpellabimus. Cogita, qvantas primo cogitationes, machinationes, per integram fere ſeptimanam ſecum concipiant, qvanam præcipue ratione poſt exanthatos integræ hebdomadis labores, genio ſuo indulgeant, atqve hac ratione animum ſuum vano mœrori ſubdant. Advenit Sabbathum, tunc adhibitis externo cultui horis matutinis, ea qvæ hactenus ſecum meditati ſunt, peragere incipiunt. Exſpatiantur qvam plurimi ad rus, & qvum Deus hanc ipſam diem etiam corporis noſtri qvieti deſtinaverit, ii qvantum in ſe eſt, pluribus laboribus ſanitatem ſuam corrumpere meditantur. Porro ſtomachum, qvi plerumqve ſuperiores cibos nondum concoxit, aliis inferciunt,

ciunt, potu qvoqve ſuffundunt, ſaltationi poſtea indulgent, & alia faciunt, qvæ corporis qvieti qvam maxime ſunt adverſa. Porro ingenti vitæ ſuæ & æternæ ſalutis ſe ſubjiciunt periculo; qvum enim ex Pſalmo 91. 12. ſciant, angelos ſanctos non niſi in eis viis nobis eſſe comites, qvæ *noſtræ* ſunt, h. e. qvas nobis Dei gloria, eiusqve inſtituti (officii) in qvo verſamur, ratio nobis iniungit; hi navi, pedibus & curru iter ſuum inſtituunt non cogitantes, facile deum poſſe concedere, ut in valetudinis pariter & vitæ, Diabolo auctore, periculum incurrant. Qvamqvam non opus habet Satanas, ut his tantopere invigilet, qvos ex his atqve aliis optime novit caſſes ſuos nunqvam evaſuros. Adeoqve adparet ex his, non ſolum qvosdam Diaboli eſſe martyres, ſed & ſua ſibi pecunia infernum mercari. Ex qvibus probe perpenſis patet, qvam abſurde ſcenæ ſuæ inſerviat Monachus Paduanus lib. 3. apud Urſtiſium part 1. p. 613. qvi poſtqvam admiratus eſſet, cur ſtolida iſthæc religio tam ſubito propagata fuerit, addit ſeqventia: *Sed revera ſpiritus ſancti gratia, qvæ neſcit tarda rerum molimina, imo repente ubi vult ſpirat, cor unius hominis ſui amoris igne ſuccenſo, exemplo illius cæteros inflammavit.* Non me detinebo diutius his refutandis; ſufficiat paucis indicaſſe. Refutat vero hunc aperte Odoricus Raynaldus ad a. 1260. n. 9. Qvum enim n. 8. adduxiſſet verba Henr.

Stero-

Steronis, qvi ſectam noſtram eam ob cauſam cito oboleviſſe dixerat, qvia ſine conſenſu Romanæ ſedis exorta eſſet, tanqvam res immoderate concepta; ita pergit: *Nec mirum cito labefactatum corruiſſe, cujus fundamenta ſuper firmam petram jacta non fuiſſent.* Idem tamen Raynaldus verba Monachi Paduani adducens clauſulam iſtam, qvam modo adſcripſimus, ſubdole omiſit. Ipſis adeo Pontificiis non conſtat, qvid ſtatuere, qvid non debeant, qvum hi articuli duo, nempe de poteſtate Papæ, & flagellatione devota, ſibi invicem plane ſint in hac cauſa adverſi.

3. Ad Eccleſiam iſtorum temporum qvod ſpectat, in ea tyrannidem eo tempore maximam exercebat *Pontifex Romanus*, qvi ſe omnium conſcientiarum dominum profitebatur, omnesq; Imperatores, Reges & Principes pro ſua voluntate moderabatur. Hic collectivum aliqvod nomen erat, totamqve Eccleſiam repræſentabat, & pro ſuo lubitu, non, ut Chriſti vicarium decebat, ex ipſius verbo & voluntate cuncta dirigebat. Hic una cum clericis ſuis verbum divinum ejusqve ſtudium aliis inhibens, ad ſua ipſorum merita, criminum purgationem & abolitionem referre docebat.

4. *Et de verbi* qvidem *divini neglectu*, in hac præcipue ſecta teſtantur hiſtorici, qvorum verba in medium ſunt proferenda. Complures enim eorum, qvi Romanæ ſedi favebant, hanc flagel-

flagellatorum ſectam qvidem ob certos qvosdam abuſus averſabantur, non tamen ideo, qvod divinæ legi & voluntati eſſet contraria, ſed qvod ſine ſanctæ Matris Eccleſiæ auctoritate, & conceſſione Romani Pontificis fuerit exorta. Sic Auctor Chronici Auguſtenſis ad a. 1260. apud Freherum tom. 1. Script. Rerum German. p. 381. „Sed qvia origo ejusdem poenitentiæ nec a ſe-„de Romana, nec ab aliqva perſona auctora-„bili fulciebatur, a qvibusdam Epiſcopis, & „Domino Heinrico Duce Bavariæ, cœpit habe-„ri contemtui, unde tepeſcere in brevi cœpit, „ſicut res immoderata(*) concepta. Anonymus Erpheſphordienſis in Chronico Landgraviorum Thuringiæ c. 105. apud Piſtorium tom. 1. p. 941. „Sed poſtea per ſententiam excommunicatio-„nis deleti ſunt, ex eo, qvod illam pœnitenti-„am propria auctoritate contra ſtatuta Eccleſiæ „aſſumpſerunt. Et Continuator Gvillelmi de Nangis tom. XI. Spicilegii Dacheriani p. 811. ſectam hanc *contra Deum*, *&* *contra formam ſanctæ matris Eccleſiæ inchoatam eſſe* dixit.

5. Porro iſtis temporibus, qvibus hæc ſecta inſurrexit, maxime vulgaris erat apud homines *perſvaſio de merito ſuorum operum*, qvibus gratiam divinam ſibi conciliare ſatagebant. Excogitaverant hanc doctrinam contra verbum divinum clerici, ſuæ inſervientes ſcenæ, nam ea ipſa doctrina de bonorum operum merito, malorum

(*) puto legendum *immoderate*.

lorum vero voluntaria expiatione, multas ipſis qvotidie congerebat opes, qvibus ipſi maximopere lætabantur, hominesqve in ea perſvaſione magis ac magis confirmabant. Non opus eſſe credo, ut hanc rem pluribus exemplis confirmem, qvum eorum ubivis magna obviam ſit copia, hoc tantum adiicio, mirum eſſe, viros alias ſatis prudentes hæc tamen potuiſſe credere, præcipue qvi ſacrarum litterarum volumina evolverent qvotidie, & illa qvoqve commentariis ſuis inluſtrarent. Comperi tamen poſtea, eos humani aliqvid paſſos eſſe, & partim præconceptis ex educatione opinionibus fuiſſe abreptos, partim vero hanc opinionem aliis virtutum nominibus, qvas merito ſuo addiderunt, palliaſſe. Certe Albertus Magnus Epiſcopus Ratiſponenſis, vir pro eorum temporum modulo divinarum pariter & humanarum ſcientiarum peritiſſimus, in libello ſuo, qvem Paradiſum Animæ inſcripſit, aureo ſane, & paucis, qvæ pro ſeculi ſui more adpoſuit, exceptis, maximopere commendando, c. 21 ſub *ſpei* nomine meritum ſuorum operum eorumqve bonitatis palliavit. Ceterum ſine riſu prudentiores legere non poſſunt ineptias iſtas, qvas egerunt illi, qvi ſuo Deum merito placare voluerunt, inter qvæ notisſimam qvoqve & communisſimam fuiſſe flagellationem non opus eſt prolixius deducere, qvum id ante nos fecerit doctisſimus Abbas Boileau.

6. Acce-

6. Accedit præterea maxima *ruditas* & *barbaries*, qvæ iſtis temporibus regnavit, totumqvè ſibi orbem ſubiugaverat. Qvum enim alias finis eruditionis poſt gloriam divini Numinis ſit mentis noſtræ expolitio, intellectusqve pariter & voluntatis emendatio, qva uti deinde debemus ad vitam noſtram tum philoſophice, tum theologice bene inſtituendam, aliosqve rudiores ad hoc ipſum fideliter & ſolide informandos, hæc omnia illis temporibus diverſa plane & contraria cernuntur. Nam ſcholæ iſtæ non niſi terminos artium abſtruſos & rancidos crepabant, qvibus Artiſtæ & Legiſtæ, ut tunc qvidem vocari volebant, primo qvidem Caſualia & Temporalia h. e. artem Grammaticam, poſtea vero Archiphiloſophiam, ut vocabant, Ariſtotelis & Arabum qvorundam Peripateticorum non adeo ſcite in latinum ſermonem translatorum; tandem vero, qvod ipſis ſummum erat, Summam Thomæ, Jus Canonicum, & Theologiam Scholaſticam proponebant. Libri, qvos viri ea ætate doctiſſimi protrudebant, erant Summulæ Logicales, Qvodlibeta, Roſaria, Milleloqvia, Correctoria, Reprehenſoria, Defenſoria (at qvam horrida nomina!) Commenta ſuper libros Sententiarum & Decretalium, & qvi alii tantarum rerum exſtare posſunt tituli. Miſeret me certe illorum temporum, qvotiescunqve in eorundem ſcriptores incidere ſoleo, miſerasqve illas res, in qvibus

 tunc

tunc temporis culmen eruditionis conſiſtere credebatur, conſidero. Qvod tamen non ideo dictum volo, qvaſi illis inſiliam, cum nec in aliis hoc admodum ferre poſſem, qvi tale qvid facerent. Nam ſi ego aut alius qvispiam iis temporibus vixiſſemus, certe ſimilia cum aliis patraſſemus, qvum hodie contra felicior & facilior exſtet ad ſolidiorem eruditionem via, qvam tritam nobis hactenus fecere viri doctisſimi, qvi ante noſtra tempora vixerunt. Hæc ergo, ut ad viam redeamus, ſtudiorum genera intellectum eruditorum qvotidie macerabant, iisqve nullum tempus relinqvebant, qvo ad meliora ſtudia, quæ ſcilicet Chriſtianæ reipublicæ maius adferrent commodum, animum adplicarent, qvum ſatis ſuperqve temporis inſumendum fuerit, ut tam horrida nomina & diſtinctiones ſibi cognitas facerent, ut ſaltem aliqvam inter ſuos adipiſci poſſent gloriam. Omittebatur ergo ſtudium veræ atqve genuinæ theologiæ, qva rudes informare potuiſſent: deinde philoſophiæ pariter atqve theologiæ moralis, qva itidem homines ſui officii admonere potuiſſent, & præcipue, qva ratione verus Deo exhibendus ſit cultus, docere. Sed ex cathedra qvoqve ſacra loqvebantur Scotus & Ariſtoteles, qvorum lingvam plebs rudior nunqvam didicerat. Qvam ob rem neqve verum creatori ſuo ſacrificium offerre poterat, & qvum notum ipſi eſſet, qvanta qvotidie peccatorum multitudo ab

ipſi

ipſis perpetraretur, putabant melius eſſe hic in corpore ſuo mala qvædam perpeti, qvam poſt hoc tempus corpus pariter & animam æternis cruciatibus exponere.

7. Non exiguum huic ſectæ fomentum addidit qvoqve *cleri malitia.* Nam qvum multi ipſorum veris rationibus illam redarguere non poſſent: plurimi genio ſuo indulgendo, gregem vero ſibi concreditum negligendo, maximum huic ſectæ addidere augmentum: qvod de Thuringis præcipue teſtatur Auctor Chronici Magdeburgenſis apud Meibomium tom. 2. p. 362. *Omnem malitiam originaliter provenire teſtantur a clero male vivente.*

8. Aliam nobis cauſſam ſuppeditat Albertus Krantzius Vandaliæ 9. 6. cujus ideo verba integra adponemus: *Hoc etiam tempore Flagellantium ſecta, de qva ſuperiori libro diximus, increvit, qvod enim malum non augeſceret, ſub talibus Chriſtianismi capitibus?* Prolixum nimis foret per omnia regna ire, eorum Imperatores & Reges deſcribere, ſimulqve oſtendere, qvantum qvisqve adfectibus ſuis & voluptatibus inſerviendo, regni vero negotia negligendo, ad hanc Flagellatorum licentiam contribuerit. Hoc ſaltem paucis adtingere licet, ſchiſmata illa, qvæ tunc temporis inter Eccleſiæ Chriſtianæ Rectores, Pontifices ſcilicet Romanos, vigebant, non modicum huic ſectæ adtuliſſe ſubſidium, qvum ſinguli Papæ Antipapis ſuis con-

traria facerent, & unus eorum, qvod poſtea occurret, etiam privilegio hanc ipſam ſectam confirmaverit. Adeo & illis temporibus commode adplicari poſſunt ea, qvæ aliqvoties in libro Judicum repetuntur: *Jis temporibus non erat Rex in Jſraël, qvisqve qvod rectum ſibi videbatur, faciebat.*

9. Ad propiores cauſſas & occaſiones ut accedamus, ex iis primo loco occurrit *Flagellatio ſui ipſius*, qvæ paullo ante, videlicet circa a. C. 1056. orta eſt, temporibus Petri Damiani, ſi non eodem qvoqve auctore, de qvo qvi plura legere volet, adeat Abbatem Boileau in Hiſtoria Flagellantium c. 7. & 8.

10. Prioris vero periodi, qva Flagellatores in ſua terga ſævire cœperunt, occaſio in Italia, teſte Bzovio ad a. 1260. n. 15. fuerunt multa *bella inteſtina*, cum qvibus hactenus luctata erat integra Italia, inter qvæ præcipue Gvelforum & Gibellinorum turbæ eminebant. Has ergo qvum tandem aliqvando finiri vellent homines, Deum hoc modo ſe colere & expiare putarunt, ac proinde Peruſii nova flagellandi methodus inventa, qvæ totam deinde Italiam, nec non partem Germaniæ, Bohemiæ & Poloniæ pervaſit.

11. Sed qvum prior illa noſtræ ſectæ periodus non diu duraret, circa a. C. 1349. nova ejus occaſio ſe obtulit, nempe *peſtis*, cujus crudelem ſævitiam aliorum potius, qvam noſtris ver-

verbis deſcribere volumus. Ita Continuator Guillelmi de Nangis apud Dacherium tomo XI. p. 807. „In eodem anno 1348. Pariſius (a) & in regno Franciæ, & non minus, ut fertur,„ in diverſis mundi partibus, & in ſeqventi an-„ no tanta fuit mortalitas (b) hominum utrius-„ qve ſexus, & magis iuvenum qvam ſenum „ qvod (c) vix poterant ſepeliri, & vix ultra„ duos vel tres dies in infirmitate iacebant, ſed„ ſubito, & qvaſi ſani moriebantur; unde qvi„ hodie erat ſanus, cras mortuus ad foveam por-„ taba-

(a) Hujus urbis nomen barbaris iſtis ſeculis fuit indeclinabile, qvod exemplis auctores iſtorum temporum comprobant, Lutſaldus in vita Odilonis Cluniacenſis c. 25. apud Bollandum t. 1. Jan. p. 68. Elogia Epiſcoporum Carnotenſium apud Mabillonium Analect. t. 2. p. 573. Acta Inqviſitionis Joh. XXII. adv. Petrum de Palude apud Baluzium Miſcell. tom. 1. p. 167. Fulbertus Carnotenſis epiſt. 68. Arnulphus Lexovienſis epiſt. 18. MS. Sulpitii Severi, qvod nuper evolvere licuit, de vita Martini 18. 3. &c. Plura conlegit Barthius ad Gulielmum Britonem 5. 88. Sic qvoqve *Turonus*, in eodem MS. Sulpicii Severi Dial. 1, 25, 6. 3, 4, 1. & 3, 8, 1. Gregorius Turonenſis in epiſtola de tranſitu S. Martini hactenus inedita: *Archidiaconus Turonus miſit velociter.*

(b) *Mortalitas* pro peſte ſæpiſſime occurrit apud Dlugoſſum in Hiſtoria Polonica. Puta autem hanc verbi ſignificationem e lingva Germanica proveniſſe. Nos enim peſtem dicimus ein Sterben.

(c) *Qvod* pro *ut* cauſſali, & qvidem cum indicativo conſtructum, pro iſtorum temporum more.

„tabatur, habebant enim ſubito boſſas (d) ſub „aſſellis (e) vel in ingvine, qvibus inſurgen„tibus erat infallibile ſignum mortis: & hæc „infirmitas ſeu peſtilentia a medicis epidimia „vocabatur. Tanta autem abundantia populi „tunc, videlicet anno Domini 1348. & 1349. de„ceſſit, qvod nunqvam auditum, neqve viſum, „neqve lectum fuit in temporibus retroactis: & „veniebat mors prædicta & infirmitas ex ima„ginatione vel (f) ſocietate ad invicem & con„tagione ad invicem; nam qvi ſanus aliqvem „viſitabat infirmum, vix, aut raro mortis peri„culum evadebat. Unde in multis villis par„vis & magnis ſacerdotes timidi recedebant, „Religioſis aliqvibus magis audacibus admini„ſtrationem dimittentes, & breviter in multis „locis de viginti non remanſerunt duo viven„tes. Tanta enim fuit in Domo Dei Pariſius „mortalitas, ut per magnum tempus ultra qvin„genti mortui omni die ad cimiterium ſancti „Innocentii Pariſius ſepeliendum in curribus „portabantur. ——— Dicta autem mor„talitas, ut dicitur, inter incredulos inchoavit, „deinde in Italiam venit, poſtea montes per„tranſiens ad Avinionem acceſſit, ubi etiam ali-

qvos

(d) *Boſſæ* Gallicum *boſſe*, & Italicum *bozza* ulcus ſive tuber notat, & præcipue de peſtiferis uſurpatur. du Fresne in Gloſſario.

(e) Pro latino *axilla*, ex germano die Achſel.

(f) *Vel* pro *&*, qvod notum eſt.

qvos dominos Cardinales invaſit, totam famili-„
am abſtulit tunc ab eis; deinde per Vaſconi-„
am & Hiſpaniam paulative de villa ad villam, „
de vico ad vicum, & ultimo de domo ad do-„
mum, immo de perſona ad perſonam inopi-„
nate ad has partes Gallicanas accedens usqve „
ad Alemanniam tranſivit, minus tamen ad „
ipſos qvam ad nos. ——— Dicebant „
qvod hæc peſtilentia ex aeris infectione &„
aqvarum oriebatur, qvia tunc temporis non „
erat fames, nec defectus victualium qvorum-„
cunque, ſed abundantia magna, unde ex ejus „
(g) opinione aëris infecti & aqvarum, & mor-„
tis ita ſubitæ, impoſitum fuit Judæis, qvod „
ipſi puteos & aqvas infecerant, & aërem cor-„
ruperant, propter qvod mundus contra eos „
crudeliter inſurrexit, in tantum, qvod in A-„
lemannia & alibi per diverſas partes mundi, „
ubi Judæi habitabant, fuerunt trucidati & oc-„
ciſi a Chriſtianis, & cremati paſſim & indiffe-„
renter multa millia Judæorum, & eſt miran-„
dum de eorum & ſuarum (h) uxorum fatua „
conſtantia, nam dum cremarenrur, ne eorum „
parvuli ad baptiſmum convolarent, matres „
eorum primo in ignem proiiciebant liberos, „
deinde poſt ipſos eædem matres ſuper ipſos in „
ignem

(g) Puto legendum *plebis*, aut ſimile qvid.

(h) Ita repoſui, legitur enim in Dacherio *ſua*. *Suarum* eſt autem pro ipſorum more illius ſeculi.

„ignem ſe præcipitabant, ut cum maritis & „eorum parvulis cremarentur. Multi etiam „mali Chriſtiani fuerunt reperti, ut dicitur, qui „ſimiliter venena per puteos imponebant, ſed „revera, tales intoxicationes, poſito quod „factæ fuiſſent, non potuiſſent tantam plagam „& tantum populum infeciſſe. Alia igitur „fuit cauſa, ut puta, Dei voluntas, ut humo„res corrupti & aëris malitia ſeu terrarum, & „forte tales potiones ſi factæ fuerunt in aliqui„bus locis ad hoc potuerunt adiuvare. Dura„vit autem dicta mortalitas in iſtis partibus Gal„licanis per magnam partem anni 48. & 49. & „tunc ceſſavit, multis villis campeſtribus & „domibus in bonis villis qvaſi vacuis remanen„tibus & orbatis, & tunc ceciderunt domus „multæ ſatis cito, & tales & ita ſolennes & plu„res ceciderunt Pariſius, de quarum ruina mi„nus, quam de multis aliis apparebat. Paullo quidem prolixior eſt locus, quem iam adduximus, aliam tamen ejusdem peſtis deſcriptionem, quia circumſtantiæ quædam in ea occurrunt diverſæ, adſcribemus ex Hainrico Monacho Rebdorffienſi apud Freherum tom. I. p. 439. „Anno domini MCCCXLVII. peſtilentia & mors „univerſalis humani generis tanta invaluit, qua„lis unquam audita vel ſcripta reperitur. Nam „primo in partibus ultramarinis inter paganos „incepit, & tam gravis (ut dicebatur) quod ad „ducenta millia * villæ, civitates absque homi-

nibus

nibus remanerent, demum ſerpendo ingredie-„ batur ex iſta parte maris. Nam Venetiis, in„ tota Italia & Provincia, maxime in civitatibus„ juxta mare ſitis, homines ſine numero morie-„ bantur; & Avinione, (ubi tunc erat curia Ro-„ mana) primis diebus, proximis diebus poſt„ Dominicam mediæ Quadrageſimæ MCCCC.„ computati homines ſepulti fuerunt: imo du-„ bitatur, quod in civitate Marſilienſi ex hac„ peſtilentia tot homines moriebantur, quod lo-„ cus quaſi inhabitabilis remanſit. Poſtea tran-„ ſivit ad Alpes, ad Ungariam, per totam Ale-„ maniam, per Franciam, in qua tertia pars ho-„ minum viva remanſit, item per Scotiam, &„ ſemper in una provincia per unum annum vel„ circa duravit, tranſiens ultra: & ſic paucis re-„ gnis exceptis, quaſi omnia mundi regna quaſ-„ ſavit, & ceciderunt homines ex ulceribus ſeu„ glandibus exortis ſub axillis, & iuxta geni-„ talia, & pro maiori parte iuvenes morieban-„ tur: vel per excretionem materiæ ſangvineæ,„ & hic dolor in VI. vel VIII. diebus homines„ ſuffocavit. Hæc loca apud medicos emunćto-„ ria nuncupantur, quia ſuperfluitas vel ſudor„ ſubtilis his locis facile emittitur per naturam.„ Duravit autem hæc peſtilentia per V. vel VI.„ annos vel circa, imo poſtea pluribus annis po-„ ſterius invenies. Etiam in multis locis hanc„ peſtilentiam adtribuunt intoxicationibus Judæ-„ orum, de quibus infra ſub Carolo Rege.„

Tantum ergo malum per tot regna tam crudeliter diffuſum, & quidem, cuius a pleriſque cauſſæ ignorabantur, altius corda hominum penetrabat, & qvum meliora non eſſent edocti, corpus pariter cum ſpiritu adfligebant, ut Deus his cruciatibus permotus, pœnam tantam clementer averteret.

CAPVT III.
DE ACTIONIBVS FLAGELLATORVM.

Argumentum.

1. Occurrunt hic Flagellatorum I. Perſonæ: fuerunt quippe inter illos 2. malefici plurimi. 3. mulieres. 4. nobiles & docti. 5. pueri. 6. clerici. 7. nomina quorundam propria. II. Requiſita. 8. 9. III. Habitus. 10. IV. Flagellatio, ubi 11. Flagella. 12. ipſa flagellatio cum pœnitentia coniuncta. 13. 14. aliæ quædam circumſtantiæ. V. Dogmata. 15. VI. Facta alia ipſorum. 16. mala. 17. bona.

Accedendum iam eſt ad actiones, mores & ritus Flagellatorum, in quibus proponendis ut eo melius procedamus, agemus primo de perſonis, earumque requiſitis & habitu: deinde de actionibus ipſarum tum principalibus, quæ ſunt flagellatio & pœnitentia, tum minus principa-

cipalibus: tandem de doctrinis ipſorum, & factis aliis tum malis tum bonis.

2. Ad perſonas ergo Flagellatorum quod attinet, erant plurimi illorum homines vana de ſuis meritis perſvaſione inflati, ut ſuperiori capite diximus. Horum certe quam plurimi ob peſtis dictæ ſævitiam tota menteDeum placare volebant,qvod ex eorum temporum ſuperſtitione creditu admodum eſt facile. His vero,ut fieri ſolet, ſub religionis prætextu varii ſe adiungebant, ut ſcelera ſua eo melius palliare poſſent. Nam teſte Dubravio Hiſtoriæ Boiemicæ lib. 17. p. 141. „Magnus ad illos ſicariorum, adulterorumque, & aliorum perditorum utri-„ usque ſexus hominum erat concurſus, ſed ha-„ bitum omnes, non autem mores apud eos,„ mutabant.„ Item quoque de noſtris Flagellatoribus ſcribunt Auctor vitæ Clementis VI. apud Baluzium p. 260. & Krantzius Vandaliæ 8. 29.

3. Mulieres quoque multæ, & honeſtæ alias matronæ ſe ipſis adiungebant ex ſingulari devotione, eorumque proceſſiones per villas & urbes ſequebantur, & omnia, quæ ipſos facere videbant, æmulatæ ſunt, quod refert Continuator Guillelmi de Nangis apud Dacherium Spicilegii tom. XI. p. 872. & ipſas quoque ſe ad umbilicum usque denudatas flagellis impetiſſe refert Hainricus monachus Rebdorffienſis ad a. 1347. apud Freherum tom. 1. p. 440. Quæ certe res ipſas ab omni pudore alienas fuiſſe,

lucu-

luculentiſſime demonſtrat. Anteriora quidem eas obtexiſſe ſub obſcure indicat Auctor Chronici Magdeburgenſis apud Meibomium tom. 2. Script. R. G. p. 34. cuius verba hæc ſunt: „Mulieres etiam in quibusdam partibus in ma„gna multitudine procesſionaliter incedentes „eodem modo cum ſuis cantionibus ſe flagel„labant, cinctæ veſte linea ſub cingulo, & ante „pectoralia delatæ, dorſum autem totum nu„dum habebant, faciebus autem velatis. Sed obſcurum admodum eſt, quid vox iſta *delatæ* notet, quum locus in mendo cubare videatur, quod tamen emendare iam non poſſumus. Mulieres porro habitu virili indutas inter ipſos fuiſſe teſtatur Auctor Calendarii Bohemici d. 12. Julii. Aliæ tamen paullo honoratiores pœnitentiam hanc non intermittebant, neque tamen publice cum aliis circumcurſitarunt, ſed privatim ſe flagellarunt. Monachus S. Juſtinæ apud Urſtiſium part. 1. p. 612. „Mulieres quoque „tantæ devotionis fuerunt minime expertes. „Sed in cubiculis ſuis non tantum populares, „ſed etiam matronæ nobiles & virgines delica„tæ cum omni honeſtate hæc eadem faciebant.

4. Nec ſectam iſtam ignobiles tantum & plebeii ſecuti, ſed quod maxime mirum, nobiles quoque & eruditi hac ſuperſtitione capti ſunt, quod expreſſe teſtatur Monachus S. Juſtinae modo citatus: *quorum veſtigia docti pariter & indocti ſunt ſecuti.* VVernerus Rolevinck in

Faſci-

Faſciculo temporum ætate 6. tom. 2. Piſtorii p. 85. a. & auctor vitæ Clementis VI. quorum verbum eadem ſunt: *Confluebant huiusmodi ex diverſis doctis & indoctis, nobilibus & ignobilibus ſine delectu perſonarum congregatis.* In Thuringica enim hiſtoria occurrrunt duces eorum Comites de Schwarzburg & Heldrungen, & Nobiles de Honſtein, ex eruditis vero Vincentius Ferrerius, de quibus cap. IV. & V. ulterius agetur.

5. Quemadmodum vero, quotiescunque novi quid adfertur, pueri facile illud imitari ſolent, ſic & eos flagellandi religionem mirifice inceſſiſſe teſtantur hiſtorici. Albertus Strasburgenſis apud Urſtiſium part. 2. p. 150. „Poſthæc in civitate Spira pene ducenti pueri duo-„ decim annorum ætate, colligationem fecerunt,„ & ſe flagellarunt.„ Auctor operis de temporibus mundi fol. 214. a. „Pueri quoque usque„ ad 2000. diabolica machinatione cruce ſignati„ ſunt, eo per legiones ad diverſas portus ma-„ ris pervenientes, multi a piratis capti, pauci„ ad propria redierunt.„ Quæ quidem poſtrema verba de regionibus Italiæ intelligenda ſunt, de quibus præcedentia auctoris verba egerunt.

6. Clericos qvoque ſuperſtitioni huic quam plurimos adhæſiſſe novimus, quamquam teſte Jac. Koenigshofen in Chron. Alſatiæ c. 5. p. 298. illi eodem cum aliis iure utebantur, nec ut alias, aliis præerant, neque in conſilium admittebantur.

7. Adiici-

7. Adiicimus curioſitatis cauſſa nomina quorundam Flagellatorum, quæ quidem in hiſtoriarum monumentis memorantur, quamvis admodum ſint pauca. Rainerum quemdam Eremitam, auctore Sigonio de Regno Italiæ lib. 19. p. 97. pro huius ſectæ incentore Peruſii habet Hoffmannus in Lexico Univ. p. 645. Sinibaldum Opizonum Prætorem Dertonenſem memorat idem Sigonius l. c. Thuringi quidam modo dicti ſunt. Petrum Muckenthier qui poſtea captus & capite truncatus eſt memorat Petrus Viſſelbercius in Chron. Huxarienſi ad a. 1411. Conradum Fabrum ſive Schmied / qui Sangerhuſæ ſectam hanc publicavit Gobelinus Perſona ætat. 6. c. 93. Articulus doctrinæ Flagell. 37. Conſtantium quendam Miſnæ exuſtum Fabricius ad a. 1349.

8. Requiſita vero eorum, qui in hanc ſectam recipiebantur, quatuor fere occurrunt. *Primum* erat, ut quisque eorum quotidie quatuor de ſuis denarios erogare poſſet, ne mendicando aliis moleſtus eſſet. Teſtatur id Albertus Argentinenſis l. c. *Nullus recipiebatur, niſi haberet in die ad minus quatuor denarios, ne mendicet.* Denarius Romanus, ut plerique eruditorum conveniunt erat monetæ noſtræ Miſnenſis 3. gl. 6. pf. Saxonicus atque Francicus quales ſequioribus temporibus in uſu fuiſſe conſtat, valebat 3⅜ Stüber / ut oſtendit Potgieſerus de ſtatu ſervorum apud Germanos 2. 8. 5. h. e. noſtræ mo-

netæ

netæ 1. gr. 8. pf. Quatuor ergo iſti denarii qvi quotidie conſumendi erant, conficiebant præter propter 6. gr. 8. pf. Sebaſtianus Francus in Chronico Germanorum Germana lingua edito fol. 214. b. ſcribit, eos oportuiſſe ſingulis diebus erogandos habere octo numos Hallenſes, acht pf. Hälliſch. Jam vero ille, ni fallor, Francus patria fuit, vel Svevus, ex quo apertum eſt Halam h. l. intelligi Sveviæ. De numero autem numorum cum noſtro convenit etiam Jacobo Koenigshofen, qui fuit patria Argentoratenſis, in Chron. Alſatiæ c. 5. p. 298. Jam vero numi Svevo-Halenſis vel etiam Conſtantienſis pretium fuit tale, ut 180. conſtituerent florenum Miſnenſem, teſtibus Tilemanno Friſio im Müntz-Spiegel 4. 3. p. 134. & Phil. Ludovico in collectaneis monetariis ad Catholicon rei monetariæ Goldaſti p. 6. ex quo colligitur unum numum Svevo-Halenſem voluiſſe $8\frac{1}{2}$ numos Miſnenſes, vel ſi adcuratiſſime calculare velis $8\frac{4}{9}$ pf. Quatuor ergo numi Halenſes valebant duos groſſos, & decem numos Miſnicos. Quam etiam ſummam fuiſſe puto, quam indigitavit Albertus Argentinenſis, qui per denarios intellexit numos Halenſes. Nam illa ſumma, quam modo ex denariis Francicis eliciebamus, pro ruſticis & plebeiis hominibus nimis magna mihi videtur.

9. *Secundum* ipſorum requiſitum erat, ut inimicis omnia condonaverint, omniaque peccata ſua ſint confeſſi: *Tertium*, ut viri nec ſine uxo-

rum,

rum, nec uxores ſine maritorum conſenſu in hunc ordinem ingrederentur: quæ Albertus & Seb. Francus cc. ll. confirmant, quibus adde Jac. Meierum in Annalibus Flandriæ lib. 13. p. 179. *Quartum*, ut ab omni mulierum conſortio & colloquio abſtinerent, quod teſtatur Jac. Koenigshofen. l. c. Qui enim contra hoc peccaverat huius poena erat, ut duci vel Magiſtro ſuo ſupplex fieret, genibus eius advolutus, factumque ſuum confiteretur, qui ipſum abſolvens flagello poſtea admonebat, his additis verbis:

Stannt uff durch der reinen Martel (a) Ehre/
Und hůte dich vor der Sůnde mehre.

h. e. Surge propter honorem caſtæ virginis Mariæ, & a tali peccato in poſterum abſtine.

10. Pergimus porro ad eorum habitum & veſtitum deſcribendum. Extra flagellationem eos ſemper triſtes, defixis in terram oculis iviſſe teſtatur Krantzius Vandal. 8. 29. Caput & faciem ſemper coopertam & velatam habuerunt, Auctor Chronici Auguſtenſis apud Freherum t. 1. p. 381. Pileos habuerunt rubros albis crucibus inſignitos, Fabricius annal. urbis Miſnæ a. 1349. Veſtis ipſarum ut ait Fabricius ad a. 1260. *erat rubea, fortaſſe ſimilis illi, quæ voce Hiſpanica dicebatur olim armilanſum, non ignota Paullino Nolano ad Sulpitium.* Extat autem hæc vox apud Paullinum Nolanum epiſt 17. & 22. ad qvem poſteriorem locum notavit Fronto Ducæus, ut

(a) idem eſt quod *Maria*, quod alii etiam ſcribunt.

ut & du Fresne in Gloſſario, *armilauſum* eſſe pallium militare, quod ſuper arma induerunt milites. Palliis iſtis inſutæ erant cruces albæ, teſte Hartknochio locis ſupra cap. 1. adlegatis. In ipſa vero flagellatione remotis palliis umbilico tenus & pectus & terga nudabant: quam plurimi vero ipſorum palliis plane deſtituti, ſeminudi ſemper incedebant. Auctor Chronici Auguſtenſis l. c. „Erat autem modus ipſius poenitentiæ ad patiendum durus, horribilis„ & miſerabilis ad videndum. Nam ab umbili-„ co ſurſum corpora denudantes, quandam ve-„ ſtem partem corporum inferiorem usque ad„ talos tegentem habebant.„ Inde quoque verſus antiquus Flagellatores ſeminudum populum vocavit apud Fabricium ad a. 1349.

Inſolitus populus flagellat ſe ſeminudus:

Lupercis hanc ob cauſſam comparat Dubravius Hiſt. Bojem. lib. 17. p. 141. Verba ſunt hæc: „Nam ut nudi Luperci currebant, ita ipſi umbilico tenus nudati ambulabant, lora manibus„ geſtantes, quibus terga ſua, non autem uti Lu-„ perci vultus ſanguine foedabant, per hæc febru-„ ari ſe purgarique, perinde atque baptiſmo ſan-„ guinis, docentes.

11. Conſideratis jam perſonis ad ipſas eorum actiones progredimur, quarum maxime principalis eſt flagellatio cum poenitentia conjuncta, quippe qua gratiam & miſericordiam divinam in tantis malis præcipue mollire volebant. Hic

 vero

vero ante omnia de flagellis ipſorum eſt agendum. Nodoſa hæc erant *acubus inſutis cum tribus chordis ictus dantibus*, ut ait Auctor vitæ Clementis VI. apud Baluzium p. 319. *Ferro acuminata & catenis rigentia fuiſſe teſtatur* Cruſius Annal. Svevic. poſt. 3. lib. 5. c. 2. p. 255. nodos vero iſtos ferrum in crucis formam eminens habuiſſe, Krantzius Vandal. 8. 29. Ex quadruplici corrigio connodata fuiſſe, & nodos in extremitatibus habuiſſe, Dlugoſſus Hiſt. Polon. lib. 7. col. 764. Hæc flagella veſtibus annexa ab ipſis dependebant, Albertus Argentinenſis Chron. apud Urſtiſium p. 2. p. 150.

12. Actus ergo ſive proceſſus flagellandi talis fere erat. In quamcunque urbem vel vicum iſti flagellatores procederent, fiebat iſtud in morem proceſſionis, ut bini & bini, vel etiam trini aliquando ſe invicem ſequerentur. Præcedebant ipſos duo, qui vexilla, cruces & cereos præferebant. Duces ipſis fuerunt duo, & unus Magiſter, quorum mandatis omnes paruerunt. Quando ergo villæ vel oppido adpropinquarent, tunc campanis ubique pulſis a populo devotionem illorum maximopere admirante ſunt excepti, ingreſſi vero, quod ipſum triſti & ſevero luctu coniectis in terram oculis fiebat, templa & coemeteria primo loco petebant, ibique uno vel duobus præcinentibus hanc cantionem vernaculam intonabant:

Nun

Nun tretet her/ die büßen wollen
Fliehen wir denn die heiſſe Hölle
Lucifer (b) iſt ein böß Geſelle/
Wenn er dem behafftet
Mit heiſſen Pech er ihn labet/
Darum vermeiden wir mit ihm zu ſeyn/
Und vermeiden der Höllen-Pein.
Wer dieſe Buß nun will pflegen/
Der ſoll gelten (c) und wieder geben/
So wird ſeine Sünde gebüßt/
Und ſein letztes Ende gut.

quæ verba in exterorum gratiam ita vertimus: Accedite, qui poenitentiam agere vultis, ea,, ipſa enim inferni ardores exquiſitiſſimos effu-,, gere poſſumus. Nequam eſt Lucifer, qui,, quem ſemel adripuit, pice ardente ſolet refi-,, cere. Propterea cum ipſo eſſe nolumus,, infernique cruciatus evitamus. Qui ergo ta-,, lem poenitentiam agere cupit, ille bona aliis,, compenſet, mala vero condonet, tunc tandem,, peccata ejus expiantur, exitusque illius erit exo-,, ptatiſſimus.,, Alia hujus cantionis pars erat talis, quam lingua illius temporis nobis conſervavit Jacob. Koenigshofen in Chron. Alſatiæ c. 5. p. 297.

C 2 Nun

(b) Lucifer) notandus h. l. obiter eſt error iocularis typographicus, qui inrepſit in Crameri Chronicon Pomeraniæ Eccleſ. 2. 27. ubi pro *Lucifer* legitur: Luther iſt ein böſe Geſelle.

(c) Gelten antique pro vergelten.

Nu iſt die Biedevart (d) alſo her (e)
Chriſt reit gen Jeruſalem ſelber/
Er furte ein Cruce in ſiner Hand/
Nu helffe uns der Heyland/
Nu iſt die Biedevart alſo gut/
Hilff uns Herre durch dein heiliges Blut/
Das du an dem Cruce vergoſſen haſt/
Und uns in dem Elende geloßen (f) haſt.
Nun iſt die Stroße alſo breit/
Die uns zu unſer Frowen treit (g)
In unſer lieben Frowen lant/
Nu helffe uns der Heilant.
Wir ſüllent die Buſſe an uns nehmen/
Daß wir Gotte deſte baß gezemen (h)
Alldort in ſins Vaters Rich/
Deß bitten wir dich alle glich.
So bitten wir den viel heilgen Chriſt
Der aller Welt gewaltig iſt.

Re-

(d) Biedevart) notat proceſſionem multorum, ex antiqua voce, Bieden & Beiden quod eſt *ire*, unde hodieque adhuc in uſu eſt vox Biedermann / pro tali homine, qui in mundo negotia ſua exercet. Puto hanc vocem deſcendiſſe ex antiquo Romano *bitere* pro *ire*, quo uſus eſt Plautus aliquoties. Loca evolvantur ex Parei Lexico Critico p. 150. & de compoſito *perbitere* pro *perire* p. 907.

(e) her/ notat ſanctum, laudabile, glorioſum. Lutherus Pſalm. 111. 10. heilig und hehr iſt ſein Nahme.

(f) geloſſen) pro gelöſet.

(g) treit) pro träget.

(h) gezemen) placeamus. Hodie geziemen / ſed alio ſenſu in uſu eſt.

Recentiores verſus eosdem citat Philippus Simonis in Hiſtoria Epiſcoporum Spirenſium p. 133. quos quia in multis ab antiquioribus iſtis differunt, integros quoque inſeremus:

Nun iſt die Fahrt alſo gut und breit
Das Chriſt ſelber gen Jeruſalem reit.
Er führt ein Creutz in ſeiner Hand/
Dadurch halff uns der Heiland.
Nun iſt die Fahrt auch alſo gut/
Hilff uns HErr durch dein heilges Blut/
Das du am Creutz vergoſſen haſt/
Auf daß wir auch kommen zur Raſt.
Nun iſt die Straß auch alſo breit
Die uns zu unſer Frauen dreit.
In unſer lieben Frauen Land/
Dazu helff uns GOtt der Heiland.
Wir ſollen die Buß nehmen an/
Daß ieglicher bey GOtt beſtehen kan/
Im Himmel unſers Vaters Reich
Das bitten wir GOtt ewiglich/
Sohn/heilger Geiſt zu aller Friſt/
Der aller Welt gewaltig iſt. Amen.

Nos ex his duobus carminibus unam hanc verſionem conficimus: „Hæc proceſſio noſtra ſancta eſt, & valde bona, nam ipſe Servator no-„ ſter (hunc ad modum) Hieroſolyma aſello ve-„ ctus eſt, qui crucem in manu tenebat, qua „ ipſa nos redemit. Hæc, inquam, proceſſio, „ valde bona eſt; ſerva nos, Domine, per ſan-„ guinem tuum ſanctiſſimum, quem in cruce fu-„ diſti,

„diſti, ut nos ex malis eriperes. Via hæc admo-
„dum trita eſt, quæ nos ad beatam virginem
„Mariam fert, in terram ſanctæ virginis: pro-
„pitius nobis ſit Servator. Nos poenitentiam
„idcirco agimus, ut rationem ipſi recte red-
„damus, ipſique eo melius aliquando in Regno
„Patris ſui placeamus. Det nobis hoc Pater,
„Filius, & Spiritus S. qui toti orbi præeſt. Amen.
Inter canendum terga ſua cædebant, neque ſanguini parcebant, poſtea templum ingreſſi in genua procidentes ſequentia canebant:

JEſus der wert gelabet mit Gallen /
Deß (i) ſullen wir alle an Cruce vallen.

h. e. *Jeſus ſervator noſter felle potatus eſt, nos propterea in crucis formam terræ nos adplicabimus.* Quo facto in crucis formam ſe expanderunt, quo ipſo imaginem Servatoris ſe præſentare putabant. Ex templo vero egreſſi coemeterium ter circuibant, poſt ſingulos vero circuitus per trium horarum ſpatium in terram procidebant, alii quidem in faciem, alii in latus alii vero in tergum, quidam etiam nudi. Porro quidam coelum verſus manum extendebant, variisque geſtibus peccata ſua quovis modo commiſſa repræſentantes eorum remisſionem anxie flagitabant. Nam qui perjurii ſibi conſcius erat, in uno latere quieſcebat, alterius vero

(i) Deß antique pro deßhalben / deßwegen / ut hodieque canimus: Deß freuet ſich der Engel-Schaar / deß dancket GOtt in Ewigkeit.

ro manus tres digitos erigebat: qui adulterii, in ventrem pronus ſternebatur: & ſic porro. In terram vero cadentibus Præcentor ſequentia præcinebat:

Nu hebent uff üwer Hände/
Daß GOtt diß groſze Sterben wende/
Nu hebent uff üwer Armen/
Daß ſich GOtt über uns erbarme.

h. e. *Jam adtollite manus veſtras; ut Deus ingentem hanc peſtem avertat: adtollite brachia veſtra, ut Deus noſtri miſereatur.* Qvando ſurgendi tempus erat, unus ex Magiſtris procedebat, qui ſingulos flagello adtingens: *Surge*, ait, *det tibi Deus peccatorum tuorum remiſſionem*: vel ut verſus habet apud Koenigshofium.

Stant uff durch der reinen Martel Ehre/
Und hüte dich vor der Sünde mere.

aut ut alii:

Durch der reinen Marien Ehr/
Stahn auf/ hut dich vor Sunden/ thus nit mehr.

Inter flagellandum vero, quod pene monere obliti eramus, alter alterum his verbis adhortatus eſt:

Schlaget euch ſehr/
Jn Chriſtus Ehr/
Durch GOtt ſo laßt die Sünde mehr.

h. e. *Verberate vos valde in honorem Chriſti: propter Deum vero relinquite peccata.* Quæ quidem verba alii aliter pronunciarunt, ita quidem,

ut hoc alii, qui non flagellatores erant, de ipſis efferrent hoc modo:

Ihr ſchlaget euch ſehr
Zu Chriſti Lehr/
Und laßt die Sünde nimmermehr.

h. e. *Flagellatis quidem vos valde, & quidem, ut videri vultis, ſecundum doctrinam Chriſti: a peccatis vero nunquam abſtinetis.* Sic porro univerſos contingebat Magiſter, qui poſtea ſurgentes Magiſtri verba ad eos, qui adhuc proſtrati erant, repetebant, & univerſi, poſtquam ſurrexerant, flagellis in terga ſævire pergebant. Ob iſtiusmodi vero geſtus & varios mores non incommode ab aliis eorum temporum ſcriptoribus Baalitis illis comparati ſunt, qui 1. Reg. 18, 26. 28. claudorum in morem altare circumierunt, ſeque cultris & aculeatis lanceolis percuſſerunt. Videatur Hainricus Rebdorffienſis l. c. Qvam vero iucundæ auditu hæ cantiones fuerint, exinde patet, quod hæc colluvies fuerit multarum nationum, quæ vero diverſa plane a ſe invicem utebantur lingua, atque ita inconditum plane clamorem ad coelum miſerunt. Nam in aliis quoque linguis ejusmodi cantiones fuiſſe, ex Gallica certe augurari poſſumus, quum, teſte du Fresne in Gloſſario, Continuator Gvilielmi Nangii vernaculus ſive gallicus, hos verſus lingua quoque gallica recitet, quos niſi liber eſſet ineditus, adponere etiam voluiſſem. His peractis unus illorum epiſtolam, qvam ab angelo in Eccleſiam S. Petri

in

in Hieruſalem adlatam eſſe finxerunt, prælegebat, cujus hæc erant contenta: „Deum maxime iratum eſſe hominibus eorumque peccatis, „ qvum nihil plane Chriſtianum agerent homi-„ nes Chriſtiani. Conſecratos ſcilicet Majeſtati„ divinæ dies inquinari ſacrilegiis, & illorum„ licentiam nihil a Bacchanaliorum impietate„ differre. Maledicorum convitiis aures divini„ Numinis oppleri; foenore commercia, vaga Venere conjugia foedari, nil quicquam cui-„ quam ſanctum eſſe. Iamque Deum illorum„ & totius mundi interitum meditatum fuiſſe, „ niſi a ſancta virgine Maria, beatisque Angelis„ oratus fuiſſet, ut mundi miſereretur, „ & quæ porro alia fuerunt. Lecta illa epiſtola ordine ſuo obſervato in urbem redibant, & inter cantandum flagella reſumebant. Qvotiescunque nomen Chriſti aut pasſionis dominicæ in cantionibus occurrebat, tunc omnes & ſinguli una proruunt in terram, non ut nos ſolemus, ſenſim geniculantes, ſed uno impetu, velut præcipitata ligna vel ſaxa ruebant. Et quem quis locum habuit, ſcrupoſum, lutoſum, ſaxis & vepribus asperum, humidum, aridum, in eum nihil verens ſe projecit. Finita vero integra procesſione unus ex Magiſtris alta voce exclamat: *Peccatores ad crucem:* quo facto nonnulli, qui majoribus criminibus, homicidio, adulterio, furto, rapina ſe inquinaverant, ante procesſionem procidunt, quos reliqui ſupergre-

dientes calcant, flagelliſque percutiunt. Qvos poſtea ſingulos quoque Magiſter flagro admonuit dicens: *Surge frater, det tibi Deus remisſionem tuorum peccatorum.* Hunc ipſum autem & ſolennem flagellationis actum ſingulis diebus bis, mane ſcil. & veſperi exercuerunt, alii tamen, quod Albertus Strasburgenſis teſtatur, nocte quoque idem fecerunt.

II. Pergimus ad alias quasdam circumſtantias, quæ in ipſa flagellatione & poenitentia occurrerunt. Scapulæ & terga ipſorum perpetuo tabo fluebant, nec liventia vulnera ſanari tam cito poterant; qvum repititi ictus id non permitterent, quod certe horrendum fuit ſpectaculum. Tempus, quamdiu quis in hac ſocietate ſe contineret, erant dies XXXIII. vel XXXIV. nam in epiſtola illa, qvam fingebant, tantum temporis præſcriptum erat. Fiebat autem illud eam ob cauſſam, quia Servator noſter tot annis in his terris adparuerat, ut & hac in re Servatoris imaginem præſentarent. Hoc transacto plerique, ut conjectare licet, ad ſua & ſuos redierunt, alii vero etiam diutius manſerunt, ſed accedendo & decedendo tamen hæc ſocietas ab una regione tranſivit ad aliam, nec tam facile exſtirpari potuit. Numerus eorum non ad modum fuit determinatus, ſed pro varietate locorum modo auctus, modo imminutus eſt. Aliquando etenim centum, aliquando mille, imo

& de-

& dena millia illorum ſimul fuiſſe ſcribit Albertus Strasburgenſis.

Hæc omnia hactenus non nominatis auctoribus ideo adduximus, ne ſeriem continuatæ lectionis citationibus nimiis interrumperemus. Hoc autem credant lectores, nullam a nobis adductam eſſe circumſtantiam, quæ non ex probato hiſtorico poſſit adduci, qvorum iam nomina & auctoritates coniunctim exhibemus. Monachus S. Juſtinæ Paduanus apud Urſtiſium part. 1. p. 612. 613. Albertus Argentinenſis Chron. lib. 3. apud eund. part. 2. p. 149. 150. Henr. Stero Annal. apud Caniſium Antiqv. Lection. tom. 1. p. 289. Continuator Gvillelmi de Nangis apud Dacherium Spicileg. tom. XI. p. 811. 812. Jac. Koenigshofen Chron. Alſat. c. 5. Auctores vitarum Clementis VI. apud Baluzium in Pontif. Avenionenſibus, Dlugoſſus Hiſt. Polon. lib. 7. col. 764. Paralipomena Urſpergenſis p. 381. 382. Krantzius Metropoli 9. 44. Vandalia 8. 29. Aventinus Annal. Boior. 7. 7. 21. Phil. Simonis in Chron. Epiſc. Spirenſium p. 133. Cramerus Hiſtor. Eccl. Pomer. 2. 27. p. 67. Francus in Chron. Germ. fol. 214. b. Bzovius ad a. 1260. Odoricus Raynaldus ad a. 1349. n. 19. ſ. Bulæus in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis tom. 4. p. 315. Hartknochius Hiſtor. Eccl. Pruſſiæ 1. 5. p. 239. ſ. & alii.

12. Qvum porro, ut jam ſupra audivimus, ipſi corporis ſui curam haberent, nemini mendi-

dicando vel ſtipem petendo, erant moleſti, qvæ vero exhibebantur ſponte, ea grato animo accipiebant. Krantzius & Bulæus ll. cc. Meigerus in Nucleo hiſtoriarum 1. 16. p. 85. Nec tamen ii, qui nihil etiam posſidebant, opus habebant ſtipem petere, nam quotiescunque a coemeterio redibant, poenitentiamque ſuam & flagellantionem finiverant, ab aliis hominibus, qvi eorum religionem ſuſcipiebant, ad convivia invitati ſunt, alio decem, alio viginti, aliis plures & pauciores pro ſuarum facultatum & ciborum modo invitante. Flagellatores vero ad domum, in qua cibum capere debebant, pervenientes, in genua proſternebantur, & tam ante, qvam poſt cibum ſumtum, Deo gratias agebant. Koenigshofius, Cramerus, & Hartknochius ll. cc. Eorum vero qui non invitati erant, cibus admodum erat vilis, ut habet Trithemius in Chron. Sponheimenſi ad a. 1501. p. 415. cujus hæc ſunt verba: „Vinum & cereviſiam „non bibebant, & ſemel tantum, præter Do„minicam ſe reficiebant in die, olera & radices, „cum ſale & aqua, ſine pinguedine aliqua ſu„mentes.

13. Accedimus iam ad doctrinas ſeu dogmata noſtrorum Flagellatorum, qvæ ex Theodorici Vrie Hiſtoria Concilii Conſtantienſis lib. 4. diſtinct. 13. apud Herm. von der Hardt Concil. Conſtant. tom. 1. part. 1. p. 127. ſ. retentis omnibus

ejus

ejus verbis adducemus, quædam vero pauca de iis in notis monebimus.

Primus ergo articulus eſt: „Quod ſecta crucifratrum, qvi ad LX. annos vel circa, ſemetipſos,, flagellando cum cantu per mundum tranſive-,, runt, originem habuerit ex quibusdam literis,,, qvas Angeli ſancti Romæ ſuper altare beati,, Petri de cœlo portaverint.,,

II. Qvod ante LX. annos, cum ſe ipſos fla-,, gellando crucifratres tranſiverunt, Deus Papam,, Romanum & omnes Epiſcopos, cæterosque,, prælatos & ſacerdotes, ne deinceps populo in,, ſpiritualibus præeſſent, licentiarit, & omni,, auctoritate ligandi & ſolvendi, aut quascun-,, que res conſecrandi eosdem ſimpliciter pri-,, varit.,,

III. Qvod, ſicut in expulſione negotiato-,, rum de templo propter ſacerdotum malitiam,,, Chriſtus repudiavit & abiecit ſacerdotium Ju-,, daicum: Ita in tranſitu crucifratrum propter,, presbyterorum nequitiam Deus licentiarit &,, abiecerit ſacerdotium Evangelicum.,,

IV. Qvod poſt tranſitum crucifratrum, Ec-,, cleſiæ & coemiteria, aqva, ſal, cineres, oleum,, & chriſma, ac cætera hujusmodi ſacramenta-,, lia debuerint & debeant pro non ſacratis ha-,, beri, qvod per nullum ſacerdotem potuerint,, conſecrari.,,

V. Poſt tranſitum crucifratrum Eccleſiæ,, mate-

„materiales (k) fuerint & ſint niſi congeres la-„pidum, publicæ domus peccatorum, & ſpe-„luncæ latronum.

VI. „Sacerdotes, baptiſmum aquæ, & alio-„rum ſex ſacramentorum legem prædicando „docentes, ſint ſeipſos, cum populo eisdem „credente, ſpiritualiter occidentes.

VII. „Qvod clava mortificationis, aſperſo-„rium aquæ benedictæ, & ſcintillæ infernales „ſint aſperſæ cum ipſis ejusdem aquæ guttis.

VIII. „Qvod tota divini officii in Eccleſia „decantatio non debeat ſanctius quid reputari, „quam canum ululatio.

IX. „In tranſitu crucifratrum lex baptismi „aquæ depoſita a Deo, & lex baptismi proprii „ſanguinis inſtituta.

X. „Qvando Chriſtus in Cana Galilææ cir-„ca finem nuptialis convivii aquam albam in vi-„num rubeum mutavit, deſignarit, quod circa „finem mundi baptiſmus aquæ in baptiſmum „ſanguinis mutari deberet.

XI. „Qvod ſicut vinum rubrum præ omni „vino prius poſito convivantibus magis placue-rit,

(k) Poſtquam ſequioribus temporibus *Eccleſiæ* vox pro *templo* promiſcue coepit uſurpari, neceſſe quoque habuerunt eruditi admittere diſtinctionem inter *Eccleſiam materialem*, quæ eſt templum, & *immaterialem*, quæ eſt cœtus hominum. Idem accidit vocabulo *corona*, quo integrum aliquod regnum indigitarunt ſcriptores, ut ſæpiſſime *corona materialis* mentio fit apud Dlugoſſum.

rit, ut commendaretur, ita nova lex baptiſmi,, ſanguinis præ cunctis ante datis legibus a Deo,, gratiſſima ſit accepta.,,

XII. Qvod poſt tranſitum crucifratrum ne-,, mo potuit ſalvari, & verus exiſtere Chriſtia-,, nus, niſi in proprio ſanguine cum flagello de-,, corpore ſuo excuſſo baptizaretur, & flagella-,, torum eſſet conſectaneus.,,

XIII. Qvod ſacramentum confirmationis pro,, nullo & pro trufa (l) debeat reputari, quod,, nonchriſmati Judæi ita bene barbas habeant &,, animas, ſicut illi, qui ſe a ſacerdotibus faciunt,, chriſmari.

XIV. Quod ſacrorum ordinum ſacramen-,, tum una cum ſacerdotibus ſit ſimpliciter a Deo,, abiectum & contemtum.,,

XV. Qvod Deum & corpus Chriſti non,, contineat ſub ſe realiter altaris ſacramentum.,,

XVI. Qvod ſi hoc eſſet verum, quod in ſacra-,, mento altaris eſſet veraciter Chriſtus Deus, diu,, eſſet devoratus, etiamſi eſſet mons ingens &,, magnus.,,

XVII. Qvod Chriſtus a mortuis ſurgens vo-,, lenti eum tangere ait Mariæ Magdalenæ: No-,, li me tangere. Qvia tam humanæ manus ſunt,, inflictivæ, (m) a modo in ipſas nolo venire.,,

Patet

(l) *trufa*, fraudem notat, unde verbum *trufare*. Vid. du Freſne in Gloſſario, & Henr. Meibomius Jun. ad Theodorici de Niem vitam Johannis XXIII. p. 52.

(m) poſſunt meo corpori pariter & animæ multa mala in-fligere, atque ita me maximopere inquietare.

„Patet igitur, in ſacramento altaris Chriſtum „veraciter non exiſtere.

XVIII. „Qvod ſacerdotum avaritia totum ſic „ſibi ſubſtraverit mundum, ut tam care vendant „hominibus panem tantillum, cujuſmodi eſt „hoſtia: Pro qua ad minus velint habere de„narium.

XIX. „Qvod, ſi Chriſtus ſit veraciter in „ſacramento altaris, tunc Juda traditore, qui „eundem Chriſtum dedit pro triginta argen„teis, ſacerdotes moderni peiores exiſtant: „Qvia Chriſtum pro uno denario vendunt.

XX. „Altaris ſacramentum eſt niſi Kuckuc „(n) ſacerdotum.

XXI. „Qvod ad mortalem peccatorum re„miſſionem non oporteat, ut qvis faciat ſacer„doti confeſſionem.

XXII. „Qvi ſacerdoti confitetur, non plus „munditiei acqvirit, quam qui ſui lutoſæ ſe al„lidit.

XXIII. „Qvod omnia peccata, quantumcun„que interioribus enormia, tollat ſola proprii „corporis flagellatio ſpontanea.

XXIV. „Qvod omnes indulgentiæ ſint pe„nitus nullæ, a quocunque datæ, & cum ſacer„dotio reprobatæ.

(n) *Kuckuc* notat fraudem, & ex Germanica lingua & conſvetudine petitum eſt. Quando enim cum infantibus ſolent ludere, tunc ſe alicubi abdunt, infantemque vocant, poſtea vero idem alio in loco faciunt, hæc verba repetentes. Kuckuck autem notat *ſide, ſide.*

XXV. Qvod benedictiones ſacerdotum,&c.,, cæteræ ſolennitates Eccleſiæ,ſacramentum ma-,, trimonii non extollant & dignificent,ſed ma-,, gis ipſum deprimant & deturpent.,,

XXVI. Qvod magis conferat infirmantium,, ſaluti, in corpore recenter flagellato mori,,, quam integra olei libra per ſacerdotem in ex-,, trema unctione perfundi.,,

XXVII. Qvod veſtis nuptialis, quæ ſe in-,, dutum dignificat ſupremi Regis convivio, eſt,, cutis recenter vulnerata cum flagello.,,

XXIIX. Qvod poſt inceptam flagellatorum,, legem, nemo beatitudinem coeli intrarit, niſi,, quem ſpontanea flagellatio usque ad eruptio-,, nem ſanguinis vulneravit.,,

XXIX. Qvod poſt inchoationem ſectæ fla-,, gellatorum nullus more Romanæ Eccleſiæ ſe-,, ptem ſacramenta percipere potuerit, qui in,, ipſorum perceptione mortaliter non peccaret.,,

XXX. Qvod loco prædictorum ſeptem ſa-,, cramentorum, in iſta ultima lege flagellato-,, rum omni Chriſtiano populo inſtituta ſit ſola,, proprii corporis in memoriam paſſionis Chri-,, ſti ſpontanea flagellatio.,,

XXXI. Poſtquam flagellatores per mundum,, primo tranſiverunt, nulli homines paſſioni,, Chriſti grati & vere Chriſtiani fuerunt, niſi,, qui in flagellatorum ſecta extiterunt.,,

XXXII. Qvod ſacerdos & Levita,qui Chri-,, ſtum inter Hieruſalem & Hiericho a Judæis,,

„vulneratum iumento impoſuit & duos dena-
„rios pro ejusdem cura protulit, ſit ſecta flagel-
„latorum, quæ jam ſola Chriſtum paſſum in
„humeris propriis portet, & cum denario Do-
„minicæ orationis & obſervantiæ X mandato-
„rum curet debite & honoret.

XXXIV. „Qvod AntiChriſtus diu regnavit,
„& regnet, & quotidie immineat dies judicii.
„Qvod Elias & Enoch jam in mundo apparue-
„rint, & diu ſint mortui.

XXXV. „Qvod Anti-Chriſtus, qui diu jam
„regnavit, ſint Prælati, Presbyteri. Qui omnes
„Anti-Chriſti ſint, & dicantur, quod ſectam
„flagellatorum infeſtent & perſequantur.

XXXVI. „Qvod Elias jam mortuus ſit, qui
„fuerit quidam Begardus, qui ante XLVIII. an-
„nos propter hæreſin in Erfordia combuſtus eſt.

XXXVII. „Quod Enoch, qui jam de ſeculo
„diu migrarit, fuerit Conradus Smet, qui hæ-
„reſes ſupradictas primus in Thuringia publi-
„cavit.

XXXIIX. „Quod Deus in principio omnium
„hominum animas ſimul crearit, & cum primo
„homine in paradiſum collocarit.

XXXIX. „Quod quotiescunque foetus huma-
„nus in utero matris animetur, anima de pa-
„radiſo per Angelum adducatur, & foetui in-
„ſpiretur.

XL. „Quod cum Begardus ſupradictus, &
„Conradus Smet, etiam præfatus, in maternis
viſce-

viſceribus animari debuerint, Angeli de Pa-„ radiſo venientes, uni Eliæ, alteri Enoch ani-„ mam infuderint, & ſic Elias unus veraciter„ extiterit, & Enoch realiter alter fuerit.„

XLI. Quod in die noviſſimo non unum„ per Chriſtum, ſed ſeptem vel octo per diver-„ ſos judices conſtituenda ſint judicia.„

XLII. Quod ultimum judicium in die no-„ viſſimo non inſtituturus ſit Chriſtus, ſed Con-„ radus Smet, flagellatorum hæreſiarcha.„

XLIII. Quod, quamvis omnia juramenta,„ qualitercunque fiant, ſint peccata mortalia:„ Eligibilius tamen ſit, flagellatores coram In-„ quiſitoribus jurare, & multa committere per-„ juria, quam ſe & ſectam prodere: Quod poſ-„ ſint juramenta & perjuria poſtmodum cum„ flagello expiare.„

XLIV. Quod poſt hanc vitam non ſit ali-„ quod animarum purgatorium. Quare defunctos„ non juvent ſuffragia vivorum.„

XLV. Quod vigiliæ & exequiæ defuncto-„ rum ad nihil aliud valeant, niſi quod ſint ali-„ quale ſolatium vivorum, & quod repleant„ marſupia clericorum.„

XLVI. Quod crucem Chriſti, & imagines„ glorioſæ virginis aliorumque ſanctorum nul-„ lus debeat adorare; Quia in ipſorum adora-„ tione committatur idololatria.„

XLVII. Quod ſolum omnes dies nativita-„ tis Dominicæ Chriſti, aſſumtionis virginis„

„glorioſæ, ſint celebrandi ſecrete & ſtu-
„dioſe.

XLVIII. „Quod nulla, quæ per ſacerdotem „mandantur, obſervanda ſint ieiunia, ſed ſo„lum vigilia nativitatis Chriſti, & aſſumtionis „virginis glorioſæ, & cuiuslibet ſextæ feriæ, „in anno venientes.

XLIX. „Dies nativitatis Chriſti ſuper die „Veneris ſi veniat, cum ieiunio ſextæ feriæ non „diſpenſare. (o)

L. „Quod exiſtentes in prædicta nova fla„gellatorum ſecta ſacerdotes venerentur, & Ec„cleſiæ ſacramenta percipiant, eorundem man„datis obtemperent, & oblationes & iura ſol„vant in ieiuniis quatuor temporum, & aliis „fidelibus conformentur, & ſanctorum imagi„nes & feſta colant, ſolum propter hoc, ne ab „hominibus notentur, & poſtmodum de hoc „poenitentes flagello ſe percutiant.

Huc usque Theodoricus Vrie. Addimus ex aliis ſequentes:

LI. *Quod ſanguis ipſorum per flagella effuſus cum ſanguine Chriſti miſceretur: & ſi quis per XXX. dies continuos ſe flagellaſſet, peccatorum omnium remiſſionem obtineret, certius quam peccatorum confesſione aut alia quavis poenitentia.* Continuator Nangii apud Dacherium Spicil. tom.

(o) Gobelinus hæc ita enunciat: *ſuper ieiunio illius diei diſpenſari non poſſit* h. e. eo die, licet maximi gaudii plenus ſit, tamen ieiunandum eſſe.

tom. XI. p. 811. Bulæus in Hiſtoria Univerſitatis Pariſ. tom. 4. p. 315.

LII. *Quod unus eorum ſe blaſpheme filium Dei affirmaverit, ſeque moriturum & reſurrecturum dixerit:* Fabricius in Annal. urbis Miſnæ ad a. 1349.

LIII. *Quod apocrypha quædam prædicarunt, eaque prædicatione clerum laicis inviſum fecerunt.* Hainricus Rebdorffienſis ad a. 1347. apud Freherum tom. 1. p. 440.

LIV. *Quod ſacramenta a Chriſto inſtituta negarint.* Odoricus Raynaldus ad a. 1372. n. 33.

LV. *Quod ſe miracula facere poſſe iactarint.* Levoldus Northovius in Chron. Comit. de Marca apud Meibomium t. 1. Script. Rer. Germ. p. 405.

LVI. *Quod ſecta ſua animabus propinquorum ſuorum, etiam damnatorum in inferno exiſtentium, & coelos posſidentium, & ſuis, dum obirent, magnas conſolationes & profectus adferat.* Dlugoſſus Hiſtor. Polon. lib. 7. col. 764.

Ex quibus ſane conſtat, non adeo vera fuiſſe, quæ ſcribit doctiſſimus Boileau c. 9. p. 261. edit. Gallica, *non fuiſſe erronei vel haeretici quid in hac ſecta, neque uno verbo quicquam quod in ea culpandum foret, præter tam crudelem flagellationem.* confer eundem p. 263. 274. Sed huic facile reſpondebunt illa dogmata, quæ modo adducta ſunt. Nam qui hos non erronea

dogmata profiteri obſervat, certe is meridiana in luce caligare videndus eſt.

16. Accedimus ad opera & facta flagellatorum noſtrorum alia, præter flagellationem, de qua iam ſupra actum eſt. Quæ ſi perpendimus, non poſſumus non de iis pronunciare verba ſanctiſſimi Servatoris noſtri Joh. 3. 19. ἦν γὰρ πονηρὰ αὐτῶν τὰ ἔργα. Adtendemus ea quæ *verbis*, deinde quæ *reipſa* nefarie peregerunt. Ad verba pertinere puto hoc, quod clerum prædicatione ſua plebi inviſum fecerunt, quod teſtatur Hainricus Rebdorffienſis l. c. p. 440. *Si vero prohibiti fuiſſent a clero, minabantur ſe violentiam facturos*, Auctor Vitæ Clementis VI. p. 319. Nec vero minis contenti fuerunt, ſed illos etiam, qui eos prædicatione interdicerent morte mulctabant. Cuius rei exemplum tale narrat Krantzius Vandal. 8. 29. *Aliquando a duobus fratribus ordinis Prædicatorum interpellati, quod nemine mittente docere & prædicare præſumerent, indignati in eos invehuntur: & cum alius ſibi fuga vix conſuleret, velocisſimis pedibus fretus, alium lapidibus obruerunt iuxta Moſam.* Quod etiam invenies apud Meigerum in Nucleo Hiſtoriarum 1. 16. p. 85. Flagitioſos concubitus ex Chronico Spirenſi ipſis adſcribit Adlzreitterus part. 2. lib. 4. n. 46. Multa quoque latrocinia ab iisdem perpetrata fuiſſe docet Odoricus Raynaldus ad a. 1349. n. 19. Nam quum Judæi, ut ſupra diximus, ob infe-

ctos

ctos fontes & fluvios a Chriſtianis vehementer affligerentur, hi quoque flagellatores occaſionem datam adripientes, Judæos immaniter trucidarunt, neque eorum modo ſpolia diripuere; ſed Chriſtianorum etiam, tum laicorum, tum eccleſiaſticorum, opes invadere non erubuere: Sub ſpecie quoque pietatis magnam auri argentique vim eos corraſiſſe teſtatur Auctor Calendarii Bohemici d. 15. Febr. ut adeo & aperte, & ſi id non potuerunt, occulte opibus hominum ſuperſtitioſorum inhiarent, easque tanquam aves ſcythicæ adriperent.

17. An aliquid unquam boni fecerit hæc ſecta, dubitare nos iuberent eorum doctrina pariter, & male geſta, quæ iam recenſuimus. Quam tamen hiſtorici quædam memorent, quæ bona primo intuitu videntur, nos, qui, quæcunque huius ſectæ poſſumus, excutimus, hæc quoque præterire nolumus. Teſtatur ſcilicet Monachus S. Juſtinæ Paduanus eos mira ſuæ poenitentiæ auſteritate hominum corda emolliſſe, ut eo tempore multa voluptatum genera fuerint omiſſa. Verba eius ſunt hæc: „ Siluerunt tunc temporis omnia Muſica inſtrumenta, „ & amatoriæ cantilenæ. Sola cantio poeniten-„ tis lugubris audiebatur ubique tam in civitati-„ bus, quam in villis, ad cuius flebilem modu-„ lationem corda ſaxea movebantur, & obſtina-„ torum oculi ſe lacrimis non poterant continere. Tunc fere omnes diſcordes ad concordiam re-„

„dierunt: uſurarii & raptores male ablata re-
„ſtituere feſtinabant; cæteri diverſis crimini-
„bus involuti peccata ſua humiliter confitentes,
„ſe a ſuis vanitatibus corrigebant; aperieban-
„tur carceres, dimittebantur captivi, & exules
„redire ad propria ſunt permiſſi: tanta enim
„opera ſanctitatis & miſericordiæ tam viri quam
„foeminæ oſtendebant, ac ſi timerent, quod
„divina potentia ipſos vellet igne coeleſti con-
„ſumere, vel, jactura terræ abſorbere aut con-
„cutere vehementi terræ motu, ſeu aliis plagis
„quibus divina juſtitia ſe ulciſci de peccatoribus
„conſvevit. In ipſis vero, & quidem priore
huius ſectæ periodo, ſequentia imitatione digna
totique mundo virtutis exemplum fuiſſe refert
Boileau p. 261. „humilitatem, frequentem pec-
„catorum confeſſionem, timorem dei, ſeriam
„criminum poenitentiam, extinctionem vitio-
„rum, odium uſurarum & rapinarum, recon-
„ciliationem cum inimicis, liberationem capti-
„vorum. Nec negamus hæc, ſi vere apud ipſos
fuerunt, laude omnia digna fuiſſe. Verum,
quum ex ante dictis pateat, hæc omnia non ex
vera fide proceſſiſſe, timorem iſtum, quem præ
ſe tulerunt, ſervilem potius quam filialem fu-
iſſe, virtutes iſtas pœnitentiæ & humilitatis tan-
tum oſtentationis cauſſa fuiſſe excultas, & ſub
pietatis tegmine plurima nequitiæ exempla fuiſ-
ſe peracta, non poſſumus non cum Apoſtolo
concludere, omnia iſta, quanta etiam aliis viſa fu-
erint, peccata fuiſſe. Seqvitur

CAP.

CAPVT IV.
quod continet
HISTORIAM FLAGELLATORVM,

Quia ordine chronologico ſingula proponuntur, noluimus prolixius argumentum præfigere, nam ſingula facile poterunt inveniri.

IAm accedimus ad ipſam hiſtoriam flagellantium, in qua ſecundum ordinem temporum & locorum ortum pariter & progreſſum ſectæ noſtræ pertractabimus.

2. Originem ergo debet hæc ſecta Peruſiæ, quæ nota eſt Italiæ civitas, ibique, ut quidam aiunt, Rainero ſive Reinero, Monacho cuidam, qui occaſione motuum inteſtinorum, quibus diu hactenus flagrabat Italia, inter quos præcipue Gvelforum & Gibellinorum turbæ eminebant, homines ſevero admodum ritu ad amplectendam pœnitentiam adhortatus eſt, ſuoque illis exemplo præivit, ut corpus quoque ſuum adficerent incommodo aliquo, eoque peccata ſua, totiusque patriæ mala expiarent. Factum autem hoc eſt anno Chriſti MCCLX. Quæ vero hi flagellatores per univerſam Italiam deinde egerint, malo Sigonii, quam meis verbis eloqui. Is autem hæc habet lib. 19. de regno Italiæ p. 97. „Initium autem huius rei (flagellandi ſcil.) a Peruſinis inductum. Quippe „ Eremita quidam, vir ſpectatæ ſanctitatis ſpi-„

„ritu divino inſtinctus, ad populum dicitur pro-„ceſſiſſe, eumque Dei nomine monuiſſe, niſi ad „pœnitentiam ſe conferrent, ac ſupplices pacem „eius & miſericordiam poſtularent, fore,ut brevi „univerſi miſera fœdaque lue ciderent. Quæ „vox adeo in pectoribus eorum inſedit, ut nul-„la interpoſita mora præcepta Eremitæ tanquam „a Deo miſſa exhauſerint: etenim jam ſenescen-„te autumno viri fœminæque omnis ætatis or-„dinisque repente corpora, perinde ac re com-„poſita, usque ad umbilicum nudarunt, ac ſe „ſumptis ad id loris cædere, per urbem inſtru-„cto agmine incedentes cœperant, ſanctam Vir-„ginem, ut ſibi a filio ſalutem impetraret, „ſummis clamoribus obteſtantes, atque iterum „veteribus odiis poſitis paces inter ſe mutuis „oſculis adhibitis ſancientes. Inde urbe, vexil-„la longo agmine præferentes, egreſſi, ad vici-„na oppida prodierunt, eaque cum ingenti il-„lorum admiratione ingreſſi, in viis ac templis „eandem pietatem exercuerunt. Qua re po-„puli illi permoti, & ipſi pariter eiusdem ſan-„ctitatis ſtudium aſciverunt, ac ſe verberantes, „ac pacem & miſericordiam ingeminatis voci-„bus implorantes, catervatim ad urbes proxi-„mas acceſſerunt. Atque ita ex Tuſcia in Mar-„chiam, ex Marchia in Romaniam paſſim in-„cendii more ea religio tranſiit. Quippe ſin-„guli populi, epiſcopis ac magiſtratibus ſuis „præcedentibus, urbes agrosque ea æmulatione „iniecta luſtrarunt, ut nullius ſexus, ætatis, ac condi-

conditionis homines eſſent, quin huius verbe-„ rationis participes eſſe vellent. Ita fiebat, ut,„ paſſim incondita carmina in Dei, & ſacræ vir-„ ginis laudes compoſita canerentur, peccatorum,„ confeſſiones vix ſuppetentibus ad audiendum,„ ſacerdotibus celebrarentur, atque omnino re-„ cta, quæ iam pridem exoleverat, Chriſti diſci-„ plina revocaretur. Hæc vero religio ex urbe,„ in urbem traducta, cum populos paſſim, tan-„ quam ſerpente quodam igne comprehendiſſet,„ demum ab Imolenſibus excepta, & quaſi per„ manus Bononiæ tradita civitatem ipſam mira-„ biliter inflammavit. Itaque & ipſi nudati ſe-„ ſe mulctarunt, ipſi divinam opem ſuppliciter„ popoſcerunt, ipſi cum inimicis in gratiam re-„ dire, & reliqua pietatis officia, quæ & cæteri,„ ſuſcipere contenderunt; ac demum manu fa-„ cta hominum amplius viginti millium ante„ diem feſtum Omnium Sanctorum ſub vexil-„ lis Mutinam proceſſerunt, ibique pie baſilica„ S. Geminiani Epiſcopi viſitata ſolemnem ſui„ verberationem poſitis veſtibus inierunt. Qua„ pietate Mutinenſes accenſi, eandem diſcipli-„ nam continuo ſuſcepere, ſuſceptamque Regi-„ um, ac Regienſes Parmam detulerunt. Cum„ autem Parmenſes Cremonam adire pararent,„ ab Huberto Palavicino malum, ſi accederent,„ intentante, deterriti, Brixiam, Derthonem,„ & Papiam ſe contulerunt. Inde a Novarien-ſibus & Mediolanenſibus opera Turrianorum,„ exclu-

„excluſos, Taurinates, Charienſes, Haſſenſes, „& reliquæ Pedemontanæ civitates comiter ac„ceperunt, atque ad eorum exemplum ſeſe ſu„bito conformarunt. Derthoni vero Sinibal„dus Opizonus prætura peracta, Genuam cum „magno Derthonenſium comitatu reverſus, ve„ſtes in æde S. Franciſci depoſuit, ac ſeſe cum „comitibus ſuis cædere cœpit, ac frequenter „humi procumbens, miſericordiam ac pacem „Dei iteratis vocibus imploravit. Quod fa„ctum primo Genuenſes irriſerunt, deinde ſum„mo ſtudio ſuſceperunt, nec ſolum inveteratis „ſimultatibus renunciarunt, ſed etiam priſtina „vita, ut pote multis ſceleribus inqinata ſe ab„dicarunt. Ceterum hi homines vulgo Devo„ti; & hic annus Generalis Devotionis annus „eſt appellatus. Manſit inde in multis civita„tibus clara huius religionis memoria, ſacris „Verberantium ſodalitiis eius rei monumento „aliquot inſtitutis.

Eadem iisdem verbis repetit de Epiſcopis Bononienſibus lib. 3. ineunte, ubi ſequentia addit: „Præcipue autem Bononiæ eo anno ſo„dalitas inchoata eſt, quæ ab recenti ſtudio de„votorum ſocietas appellata, poſt ab ipſa erga „pauperes hoſpitalitate aſcita, Hoſpitalis ſanctæ „Mariæ Vitæ nomen accepit, B. Rainerio Pe„ruſino in urbem veniente, ac magna ad rem „illam adiumenta ſubminiſtrante: quod nomen „eremitæ illius fuiſſe exiſtimatur, quo auctore illa

illa devotorum inſtituta mulctatio dicitur. Is,, certe in hunc usque diem propterea ab ea ſodalitate, cunctoque populo ingenti pietatis ſtudio,, celebratur.,,

3. Notandus hic circa originem huius ſectæ obiter eſt Dlugoſſus Hiſt. Polon. lib. 7. col. 764. *qui ſectam hanc ex Galliis & Pariſiis manaſſe* ſcribit. Nempe vel ipſe Dlugoſſus peccavit, dum pro *Peruſia* legit *Pariſios*, poſtea quum *Pariſios* non in *Italia* ſed *Gallia* ſitos eſſe noſſet, *Galliam* quoque adpoſuit: vel etiam deſcriptor hoc modo peccare potuit. Certe exempla MS. ex quo cura illuſtriſſimi L. B. ab Huyſſen Dlugoſſi jam prodit, aperte ita legit; quod ego, qui illud oculis uſurpavi, teſtari poſſum. Et Matthias de Miechovia Hiſt. Polon. 3. 55. originem quoque huius ſectæ ex Gallia deducit. Sed hæc obiter.

4. In Italia vero ſtatim fuere, qui huic ſectæ contrariarentur, quamvis non bono reſpectu id factum fuiſſe videamus. Manfredus enim, filius naturalis Federici, qui Siciliæ & Apuliæ regnum uſurpaverat, & propria auctoritate capiti ſuo diadema regium impoſuerat, quasdam etiam partes Tuſciæ & Anconitanæ Marchiæ jure belli ſubjugaverat, ſub pœna mortis omnibus terrarum ſuarum incolis prohibuit, ne quis hoc pœnitentiæ genere uteretur. Timebat enim, ne ſub forma novæ iſtiusmodi religionis tyrannis iniuſte conſtituta impediretur.

Mar-

Marchio præterea Palavicinus Cremonæ, Brixiæ, & Mediolani, & in reliquis urbibus ditioni ſuæ ſubiectis eandem ob cauſſam Flagellatores prohibuit. Nam ſub tali religionis ſpecie multi latere potuerunt, qui plebem ad ſe pertraherent, illiusque tyrannidem diſſolverent. Monachus S. Iuſtinæ Paduanus Chron. lib. 3. apud Urſtiſium part. 1. p. 613.

5. Eodem & ſequenti ſtatim anno ſuperſtitio hæc ultra Alpes evolavit, & in ſuperiorem Bavariam, Fruxinum usque pervenit, teſte Aventino 7. 7. 22. Verum eos Henricus Bavariæ Dux cum ſuis Epiſcopis ſtatim cognovit, eisque ducatum ſuum intrare prohibuit, quapropter etiam brevi hæc ſecta in his terris eviluit.

6. Anno MCCLXI. etiam Argentoratum venere Flagellatores ex Italia numero mille & ducenti, quibus ibi acceſſerunt mille & quingenti, qui nudis corporibus ſe flagris cædebant. Cont. Urſp. p. 381.

7. Ad Bohemiam eodem anno pervenit hæc ſecta, quos quidem Auctor Calendarii Bohemici d. 25. Febr. Pragam intraſſe vult. Verum ego puto hoc demum ſequente anno factum eſſe: nam ſi vel maxime, quod tamen non conſtat, nec credibile eſt, Calendis Ianuarii Peruſii orta fuerit hæc ſuperſtitio, non tam cito potuit per Bavariam ad Bohemos pervenire. Quæ Pragæ ſingularia ab iis acta fuerint, non conſtat, niſi quod ibi per multas Eccleſias pœniten-

tiam

tiam acturi cucurrerint, & ſub ſpecie religionis multas in Bohemia pecunias corraſerint, qua propter eos etiam Ottocarus regno atque terris ſuis excedere mandavit.

8. Ex Bohemia ſine dubio venerunt in Poloniam. Nam quum Cracoviam adiisſent, ibique per omnes Eccleſias circumiſſent, ſtatim a Prandotha Epiſcopo, ex urbe & omni dioeceſi ſua abire juſſi ſunt. Ianuſſius quoque Archi-Epiſcopus Gneſnenſis cum reliquis ſuis Suffraganeis & Baronibus Poloniæ eos perſecutus eſt, ſuisque ſubditis confiſcationis bonorum pœnam interminatus eſt, qui ſe huic ſectæ vellent adjungere. Dlugoſſus Hiſt. Pol. lib.7. col. 764. 765. Matthias de Mechovia 3. 55.

9. Eodem anno ad Miſniam venerunt, ut ſcribit Fabricius in Annalibus urbis Miſnæ, quamvis id Sigfridus Presbyter anno ſequenti factum eſſe adfirmet, & quidem multo melius ob rationem jam dictam. Ejecit vero eos e tota dioeceſi ſua Conradus Epiſcopus Miſnenſis. Quæ porro ibi egerint, non conſtat.

10. Quum ergo ubivis intolerabiles eſſent noſtri Flagellatores, brevi extincta eſt eorum religio, qvum ubique magiſtratus tam civiles quam eccleſiaſtici principiis obſtarent, & in ipſo flore malum hoc exſtinguerent. Quamvis ſub cineribus quaſi ſcintillulæ gliſcebant, & ſe hinc inde prodebant.

11. Anno

11. Anno enim MCCXCVI. viginti & octo Flagellatores venerunt Argentoratum, qui albis veſtibus erant induti, & facies linteo craſſiori velaverant. Hi per integram civitatem omniaque templa proceſſiones & flagellationes inſtituebant. Jac. Koenigshofen in Chron. Alſatiæ cap. 5. p. 300. Contin. Urſp. l. c.

12. Porro MCCCIX. eorum ſit mentio, quamvis ſine nomine loci in quo fuerint, & quid egerint, a duobus Auctoribus compilationum Chronologicarum, quarum priorem edidit Piſtorius t. I. p. 746. *Anno Domini MCCCIX. primi Crucifigeri ibant.* Poſteriorem Maderus poſt Gervaſium Tilbrienſem p. 132. cuius hæc ſunt verba: 1309. *Flagellatores ſive* Crücbröder *currunt per mundum.* Obiter hoc addendum eſt, priore loco pro *primi* fortaſſe ſcriptum fuiſſe *plurimi* per conſuetam monachis abbreviationem. Nam, ut adparet, primi hi non fuerunt.

13. Anno MCCCXLVII. & MCCCXLVIII. peſtis ingens in Gallia & Germania orta, quæ, ut jam ſupra cap. 2. docuimus, occaſionem renovandæ hujus ſectæ dedit. Anno ergo 1349. durante adhuc illa peſte, ſecta iſta, quæ hactenus plane exoleverat, revocari cœpta eſt, & quidem non in Hungaria, ut Hoffmannus ſcribit in Lexico Univerſ. p. 645. ſed in ſuperiore Germania, qvod præter Wernerum Rolevinckium ætate 6. tom. 2. Piſtorii p. 85. a. teſtatur Auctor vitæ Clementis XVII. MS. in Biblioth.

Vaticana

Vaticana citatus ab Odorico Raynaldo ad a. 1349. n. 19. Diviſerunt ſe hi Flagellatores recens orti in duas partes, quarum una partes Germaniæ ſuperiores, altera inferiores perluſtrabat. Continuator. Urſp. l. c.

14. Bambergenſem certe diœceſin inter primordia luſtrarunt, in ea quippe magna Judæorum copia fuit, quibus admodum infeſti erant eo tempore cum omnes Germani, tum præcipue Flagellatores noſtri. Hos ergo in dictam diœceſin intrantes, Judæi inopinate adorti ſunt, & XIV. præter propter Flagellatores occiderunt, nec non cives aliquot eorum defenſores, & poſtea oppidum igne ſuppoſito incenderunt. Hainricus Rebdorffienſis ad a. 1349. apud Freherum. tom. 1. p. 440.

15. Inter ſuperioris Germaniæ urbes, ad quas eo anno acceſſerunt, potiſſima fuit Argentoratum. Eo qvatuordecim diebus poſt feſtum Joannis Baptiſtæ (quatuordecim noctes poſt ſolſtitium, vierzehn Nacht nach Sungichten habet Koenigshofius) ducenti fere Flagellatores venerunt, habentes octo aut decem pretioſa vexilla ex ſerico, & totidem cereos duplicatos. Ibi inter alia eorum facta ſequentia enumerantur: Lectis literis, quas de cœlo adlatas eſſe jactabant, aliquos Argentoratenſium interrogaſſe: *An rite inſtituta eſſet flagellandi proceſſio, & quis nam hanc Epiſtolam obſignaverit?* ipſos vero blaspheme admodum reſpondiſſe: *Quisnam Evangelia*

angelia obſignaverit? Qvuum porro miracula ſe facere poſſe jactitarent, in circulum eorum puer mortuus delatus eſt, quem reſuſcitare quidem tentarunt, quod iis tamen non ſucceſſit. In dictam vero urbem per dimidium fere annum ſingulis hebdomadibus cohors flagellantium adveniebat. Tandem vero cum admiratio ipſorum deſineret, Senatus etiam Argentinenſis vetuit, ne reciperentur. Qvod ſi quis ſe flagellare vellet, id domi ſuæ faceret. Quo facto ſecta hæc Argentorati amplius viſa non eſt. Contin. Urſpergenſis p. 281. 282. Jac. Koenigshofen Chron. Alſatiæ c. 5. Auctor Chron. Alſatiæ vernaculus 8. 20.

16. Inde Spiram hoc malum proſerpſit, ad quam urbem itidem ducenti ex Svevia in medio Junii venerunt, ibique tantum auctoritatis conſecuti ſunt, ut Spirenſes cives luctati fere inter ſe fuerint, quisnam eorum plures ad cœnam deberet invitare. Contin. Urſperg. Seb. Francus Chron. Germ. fol. 214. b. Lehmannus Chron. Spir. 7. 45. Phil. Simonis in deſcript. Epiſc. Spir. p. 133. Spiræ quoque ducentos pueros virorum flagellationem imitatos fuiſſe ſcribunt Albertus Argent. & Adlzreitterus ll. cc.

17. Treveros perrexit noſtra ſecta, horrendumque ſui ſpectaculum iſti etiam urbi videndum exhibuit. Statim vero Clemens Pontifex Balduino Epiſcopo Treverenſi ſcribit: *operam uti daret, ne peſtis illa longius proſerperet, homi-*

nesque

nesque ſtolidos & vecordes, priusquam in habitum religionis ſe conformarent, ſeveris ſuppliciis coerceret. Balduinus fruſtra operam poni arbitratus in convertendis pertinacia invictis, negotium Præfectis atque Magiſtratibus dedit, ut pro imperio atque poteſtate in eos animadverterent. Hæc Maſenius Annal. Trevir. lib. 17. p. 220. 221.

18. Baſileam quoque veniſſe teſtatur Adlzreitterus part. 2. lib. 4. n. 45. atque inde centenarium agmen honeſtisſimorum civium Avinionem duxiſſe.

19. Ad inferiores Germaniæ partes primo loco nominamus Aquisgranum urbem antiquiſſimam. Ad eam Spirâ tanta acceſſit multitudo, ut Carolus IV, qui in ea coronationis ſuæ ſolemnia celebrare eodem anno volebat, tumultu eorum urbe excluſus, coronationemque Bonnæ ſuſcipere coactus fuerit. Continuator Urſperg. & Seb. Francus ll. cc.

20. Miſnam quoque hoc anno venerunt, ubi Conſtantinus quidam, qui ſe Dei filium adfirmabat, ſeque moriturum & reſurrecturum dicebat, ante gradus templi Mariani in focum incenſum vivus conjectus eſt. Fabricius ad a. 1349.

21. Pirnæ quosdam fuiſſe, & inde Magdeburgum tranſiiſſe memini me alicubi legere, ſed locus jam non ſuccurrit.

22. Magdeburgi hoc anno ab eis nil memorabile geſtum proditur, præterquam quod Otto Archi-Epiſcopus Magd. eos juſſu Papæ Clemen-

tis VI. ſub pœna mortis e ſua diœceſi abire juſſit. Auctor Chronici Magdeb. apud Meibom. tom. 2. p. 342. Olearius in Haligraphia pag. 162. 163. Fuit quoque eodem tempore in Germania Cardinalis quidam Pontificis de latere legatus, qui omnes huius ſectæ fautores, nutritores & defenſores mucrone Eccleſiæ feriit. Sed illi omnia iſta contempſerunt, & nihili penderunt. Krantzius Vandal. 9. 6.

23. Ad exteriores regiones quod adtinet, hoc anno ad Bohemiam ſaltem penetrauere, ut refert Auctor Calendarii Bohemici d. 12. Julii. Sed eos ſtatim Carolus IV. Rex e regno Bohemiæ ejecit, pœna rogi conſtituta in eum, qui ſe ipſis coniunxiſſet.

24. Flandriam quoque eodem anno peruagati ſunt, ſed in ea praeter generalia eorum facta nihil notatu dignum peregerunt. Bucelinus Annal. Gallo-Flandr. lib. 7. p. 346. Jac. Meierus Annal. Flandriæ libr. 13. p. 197. Magnum Chron. Belgicum ad a. 1349. tom. 3. Piſtorii p. 301.

25. Sequitur annus MCCCL. quo ſe ad alia regna dilatavit noſtra ſecta. Nam auſpiciis âtque ductu civium Baſileenſium Avinionem magna eorum cohors ſe contulit, vbi tunc ſedebat Clemens VI. Pontifex. Putabant ſe magnam apud eum inituros gratiam, quando ipſi egregiam ſuam pœnitentiam poſſent adprobare. Sed præter ſpem ſuam a Clemente Papa, qui mala ipſorum, quæ tum ipſi patrabant, tum in Republica

Chri

Chriſtiana excitare poterant, bene perſpecta habebat, probibiti ſunt, & cum ſecta ſua excommunicati. Quod diploma capite ſequente integrum exhibebimus. Auctores Vitarum Clementis VI. Optimum autem remedium, quod huic malo mederi poſſet, putauit Clemens VI. Pontifex, ut Jubilæum aliquod pronunciaret, atque homines ſaniori ſcilicet pœnitentiæ genere Deum placare docuit. Quam quidem ob rem maxime laudatur a Pontificiis Scriptoribus, qui tamen neque diffiteri poſſunt, politicum quid huic ſanctitati cauſſam fuiſſe, nempe, ut ſuperſtitioſi ab hac flagellatorum pœnitentia avocarentur, multæque turbæ remouerentur: quibus nos hanc quoque addimus, ut Sanctus Pater, qui a vera ſede ſua tunc exulabat, plures corroderet pecunias, unde pro Pontificiæ dignitatis modo recte vivere poſſet. Bulæus Hiſtoria Univerſitatis Pariſ. tom. 4. pag. 315. Adlzreitter. part. 2. lib. 4. n. 46.

26. Eodem anno ſecta noſtra pervenit ad partes Angliæ, quamvis ibi non Angli ſeipſis adjunxerint, ſed tantum peregrini fuerint, qui eo ex Flandria nauigarunt. Thomas Walſingham in Hiſtor. Angl. inter ſcriptor. Anglicos a Camdeno editos. p. 169.

27. Secta porro noſtra, quamvis a Pontifice anathemate Eccleſiaſtico feriretur, & ab omnibus Principibus & Regibus prohiberetur, exſtirpari tamen non potuit, ſed ſequentibus tempo-

ribus hinc inde in Germania & aliis regionibus eius veſtigia proruperunt. Sequemur in iis porro recenſendis ordinem temporum, & quo quæque anno geſta ſunt, exponemus.

28. Anno MCCCLXIX Spiram iterum veniſſe dicuntur Flagellatores. Sed hoc plurimi anno 1349 adtribuunt, & ego in hoc erratum a deſcriptoribus puto, quod numerum denarium X, quinquagenario L poſtpoſuerunt. Quapropter dubitanter admodum id adſerit Phil. Simonis in deſcript. Epiſc. Spir. p. 133.

29. MCCCLXXII. in Germania hinc inde noſtra ſecta vagata eſt; ſed eam ſeverisſimis interdictis, præcipue ad fidei cenſores ordinis Prædicatorum datis, comprimi iusſit Gregorius XI. Pontifex, librosque eorum exuri, deſcribi autem ſub gravisſimarum pœnarum comminatione vetuit. Odoricus Raynaldus ad a. 1372. n. 33.

30. MCCCXCIX. *Beghardi ac ſecta flagellantium in Germania ac ceteris regionibus graves errores induxerunt.* Auctor operis de temporibus mundi fol. 225. a. Quamvis & hunc falſum eſſe putem, ac pro numero quinquagenario centenarium ſcripſiſſe.

31. MCCCC. *Crucifigeri ſive Flagellatores ibant tertio in Brabantia & Hollantia.* Auctor Compilationis Chronol. apud Piſtorium tom. I. p. 748.

32. MCCCCXI. *inſaniebat Flegelorum* ſocietas,

tas, cui ſe aſſociauit Petrus Muckenthier *ex Albatia* (a) *ſed captus & capite truncatus eſt.* Petrus Viſſelbeccius in Chron. Huxarienſi ad hunc annum. *Eodem anno incipit ſocietas Tritarum, id eſt,* der Flegelern/ *quorum Capitaneus fuit ille de* (b) *Schvvarzburg, & comes de Heldrungen.* Anonymus Erphesphordienſis in Hiſtoria de Landgraviis Thuringiæ c. 155. apud Piſtorium tom. 1. p. 953.

33. MCCCCXII. Hoc anno in Thuringia durare perrexerunt Flagellatores, de quibus idem Anonymus c. 157. cuius verba integra adponemus: Eodem anno comes de Heldrungen di-„ ctis dominis & principibus Friderico & Wil-„ helmo ſe oppoſuit, ex illa liga Tritarum, ſcilicet „ der Flegelern/ & Comitem Henricum de Hon-„ ſtein nocte in caſtro Honſtein cepit, & caſtrum „ filio ſuo evadente nudo: & usque ad dominos „ Fridericum & Wilhelmum provenit, & ab eis „ auxilium petiit. Et quia item comes iam di-„ ctis principibus obedire recuſauit, caſtrum eius „ obſederunt, videlicet Heldrungen, & ceperunt „ cum omnibus attinentiis ſuis, & eum comitem „ exhæreditaverunt viriliter & manu forti, & in „ recompenſam Henrico comiti de Honſtein jure „ hæreditario aſſignaverunt. „

(a) Quid *Albatia* ſit, fateor, me ignorare.

(b) Germaniſmus eſt, ut dicimus: der von Schwartzburg/ i. e. *Nobilis vel etiam Comes ex hac vel illa gente:* quod tamen poſterius hodie minus receptum eſt.

34. MCCCCXIV. Sangerhuſæ & in circumjacenti diſtrictu virus ſuum diſſeminarunt noſtri Flagellatores. Sed eos non diu ſuſtinuerunt glorioſi Principes Fridericus Marchio Misniæ & Dux Wilhelmus. Hi acerrimum hæreticæ pravitatis inquiſitorem inſtituebant Henricum Schonevelt, ordinis Fratrum Praedicatorum, & Magiſtrum Theologiæ, qui officio ſuo ſtrenue functus eſt, adeo, ut omnes, quos propter hanc ſectam habebat ſuſpectos, carceri includeret. Ex quibus idem die 15. Januar. triginta quatuor ad forum Sangerhuſæ perduci iuſſit, qui ſectam ſuam publice revocarunt, caeruleam crucem portandam ſuſceperunt, atque ita variis obſeruatis ceremoniis in Eccleſiæ ſinum ſunt recepti. Tres vero ex iſtis, qui revocare noluerunt, ad rogum damnati & combuſti ſunt. Alio vero tempore idem Henr. Schonevelt XCI. Flagellatores comburi iuſſit, inter quos etiam fuit Magiſter Cunradus Schmid, ſive Faber Hæreſiarcha ipſorum. Theodor. Vrie Hiſtor. Concil. Conſtant. lib. 3. diſt. 8. col. 86. lib. 4. diſt. 13. Gobelinus Perſona Coſmodrom. ætat. *6.* c. 93. Zieglerus im Schau-Platz der Zeit d. 15. Jan. n. 3.

35. Circa eadem forte tempora combuſtus eſt Erfurti Begardus iſte, quem Eliam ſtatuerunt, cuiusque in articulo doctrinæ ipſorum 36. fit mentio.

36. MCCCCXLV. in Pruſſia fuerunt Flagellatores, ibique magni ab hominibus æſtimati, quod

ex

ex ſtatutis & legibus Frauenburgenſibus conſtat, quæ art. 14. ita de iis habent: *Flagelliferi libere in Sambiam, & per totam Pruſſiam eant, emendique ac vendendi poteſtatem habeant.* Hartknochius Hiſt. Eccl. Prüſſiæ l. 5. p. 238.

37. MCCCCLIV. *feria quinta poſt Lætare fuerunt combuſti in Sangerhauſen viginti duæ perſonæ utriusque ſexus de ſecta Flagellatorum, quæ ſæpius inventa fuit in Thuringia.* Auctor Chronici Magdeburgenſis apud Meibomium tom. 2. p. 362.

38. MDI. ex Italia quædam Flagellatorum natio in Germaniam venit, quæ reliqua omnia cum aliis communia habuit, in quibusdam ſaltem differebat. Adſcribamus in hanc rem verba Trithemii Chron. Sponheim. p. 415. Anno etiam „ præſcripto (1501) Abbatis Trithemii XVIII. ve- „ nerunt ex Italia viri tunicis induti griſeis, capi- „ te non velato, nudis pedibus incedentes, & „ crucem de ligno parvulam portabant in mani- „ bus, qui neque ſaccum habebant, neque pe- „ ram, ſed neque pecuniam recipiebant in mani- „ bus, neque baculis utebantur. Vinum & ce- „ reviſiam non bibebant, & ſemel præter Domi- „ nicam ſe reficiebant in die, olera & radices cum „ ſale, & aqua ſine pinguedine aliqua ſumentes. „ Quinquennio elapſo ceſſavit eorum pœnitentia.

39. Poſt hæc tempora ubique ſiluit Flagellantium ſecta excepto Galliæ regno, in quo ſubinde renovata eſt. Anno etenim MDLXXIV. ſuper-

ſtitio iſta reſumta eſt a quibusdam, quæ tantum ponderis in multorum animis habuit, ut ipſe Rex Henricus III. eorum turbæ ſe immiſceret. Cujus exemplum ſecuti ſunt multi aulæ ipſius Proceres, & inter hos etiam Carolus Cardinalis Lotharingus. Verum is nuditatis & verberum impatiens, ex frigore veſpertino in febrem violentam incidit, intentiſſimisque capitis doloribus, quos & deliria conſecuta ſunt, & pervigiliis male vexatus, tandem biduo ante Chriſti natalem fatis conceſſit. Thuanus tom. 3. lib. 59. p. 47.

40. MDLXXXIII. idem Rex Henricus III. permiſit varias Flagellatorum proceſſiones celebrari, & aurigarum olim Romanorum modo eos in certas factiones ſecundum colores diſtinxit. Diſſuadebant id quidem Chriſtophorus Thuanus & Petrus Brulartus: nihilominus tamen inſtituti ſunt flagellantium ordines Lutetiæ, albo, nigro & veneto colore diſtincti, & III. Eid. Martii auctoritate regia confirmati ſunt, ſollicitante id præcipue Jo. Baptiſta Caſtello Pontificis apud Regem legato. VIII. Kal. April. (c) die annunciationis B. Mariæ ſupplicatio publica celebrata eſt, cui Rex, totius aulæ Principes ac proceres, nobilitas omnis, & quamplurimi alii, inter quos etiam Biragus Cardinalis Cancellarius, & Cevernius Procancellarius fuerunt, ſacco omnes induti, & facie velata. Quapropter etiam quamplurimi illos

(c) In Thuano legitur XII. quod mendum eſſe typorum puto.

illos riſerunt, & concionatores hoc ipſum publice ſatyrico ſale perfricuerunt. Inter hos præcipue erat Mauricius Poncetus, qui ob hoc Melodunum in monaſterium B. Petri relegatus eſt. Paullo poſt die Paraſceves repetitæ ſupplicationes eadem pompa. Sed ad meliorem venerationem noctu cum facibus celebratæ. In quibus Georgius Jouſa Sandeſiderius, Annæ Jouſæ frater, qui pedibus nudis incedebat, tempeſtate adhuc frigida, in diarrhœam cruentam incidit, ex qua mox deceſſit. Idem Thuanus lib. 88. p. 627.

41. Poſt hæc tempora, quantum mihi quidem conſtat, non amplius inſtitutæ ſunt ſolemniores eiusmodi proceſſiones, ſed qui corpus ſuum flagellando macerare voluerunt, privatim id peregere, plurimi vero a tota re, quod optimum puto, abſtinuere. Et hactenus quidem de Hiſtoria ſectæ Flagellantium.

CAPVT V.

tractat

VARIORVM DE HAC SECTA IVDICIA.

Argumentum.

1. Judicia ſunt varia, 2. laudantur a nonnullis, inter quos Vincentius Ferrerius, ad quem epiſtola Gerſonis inſeritur, 3. vituperantur ab aliis, qui eos Anti-

Chriſti

Chriſti præcurſores ſtatuerunt, 4. a Papa excommunicantur. 5. ab Univerſitate Pariſienſi. 6. Gerſone. 7. & aliis refutantur. 8. edicto Parlamenti Pariſini prohibentur. 9. Concluſio.

QVamprimum aliquid vel invenitur, vel renovatur, ſtatim diverſa patitur judicia, nam ut habet notus verſiculus, *laudatur ab his, culpatur ab illis.* Idem quoque ſectæ noſtræ, de qua hactenus egimus, uſu veniſſe experientia docuit. Teſtatur enim Hainricus, monachus Rebdorffienſis ſæpius hactenus a nobis citatus, *Flagellatores noſtros ſua devotione multos quidem ad ſe traxiſſe, alios vero ipſis etiam detraxiſſe.* Ad Pontificios ſcriptores quod attinet, illi priorem ſectæ huius periodum, ejusque devotionem maxime celebrant, quod ſupra Sigonium cum Boileavio feciſſe diximus: poſterioris vero tum doctrinam, tum facta omnes averſantur. Odoricus Raynaldus ad a. 1349. n. 10.

2. Inter laudatores huius ſectæ in genere occurrit rude vulgus, quod ſemper novarum rerum eſt adpetens, easque avide admodum adripit. Quapropter & ab ipſo Flagellatores noſtri advenientes campanarum pulſu, a devotione autem ſua redeuntes, lautis conviviis excepti ſunt, ut ſupra ex Kœnigshofio & aliis docuimus. Ingens vero huius ſectæ fautor circa tempora Concilii Conſtantienſis fuit Vincentius Ferrerius, ordinis

Præ-

Prædicatorum monachus, Theologus & Orator celeberrimus, qui ob ſingularem pietatem ac devotionem ab omnibus ferme adoratus eſt. Cuius etiam conſilio & oratione, teſte viro celeberrimo Herm. von der Hardt Concil. Conſtant. tom. 3. part. 7. p. 92. 93. Sigismundus Imp. Hiſpanos a Petro de Luna, ſ. Benedicto XIII. abſtraxit. Hunc igitur tantum pro eorum temporum ratione virum a ſocietate Flagellantium avocari non tam artis quam adfectus erat. Quapropter cum in Conſtantienſi Conſilio de his religioſis flagellatoribus in viam reducendis ageretur, viſum eſt quamplurimis, adfectu emolliri citius poſſe Vincentium Ferrerium, quam ferro vinci ac flagris. Blandiſſima hinc atque mitiſſima nata eſt ad Ferrerium epiſtola Gerſonis, quam ex eodem Concilio l. c. col. 94. ſ. integram inſeremus.

EPISTOLA miſſa Magiſtro VINCENTIO, Ordinis Prædicatorum, Dei ſeminiverbio ferventiſſimo, contra ſe flagellantes, per M. Ioh. Gerſon.

„Nominatiſſimo Doctori & Prædicatori, zelanti ſalutem animarum, Magiſtro Vincentio, de ordine Fratrum Prædicatorum, fratri meo in Chriſti charitate dilectiſſimo, Iohannes Gerſon.

„Tanta de virtutibus tuis, Doctor egregie, fama referente, crebrius accepi, tanta ſpecialiter in collatione familiari cum Reverendo Patre Domino Generali tui ordinis Prædicatorum, agnovi, ut mihi videaris recte figuratus, ſecundum nomen

tuum

„tuum, per illud Apocalypſeos, quo ſpeculator „totius Eccleſiaſtici decurſus, Iohannes, ait: „Vidi, & ecce eqvus & qvi ſedebat ſuper illum ha„bebat arcum, & data eſt ei corona, & exiit veni„ens ut vinceret. Exiſti quidem ut vinceres, Vin„centi glorioſe. Sed quales tu vinceres, qua ra„tione, quibus armis, quo apparatu bellico, quali „arcu, ut tandem ipſe coronatus triumphares? „Reſpondit ipſe, cuius es imitator, Paulus, dicens: „Arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia, cum re„liquis ſimilibus, qualia ipſe noſti melius. Suppe„tunt hoc loco plurima cordi meo, quæ libentius „& forſan utilius verbo & ore ad os quam calamo „muto reſerarem tuæ ſapientiæ, niſi quod alior„ſum me trahunt occupationes aliæ. Et quia te „gravibus aſſidue laboribus intentum protrahe„re longa ſcriptionis ſerie non viſum eſt, ſatis „æquum vel modeſtum, hoc unum, quod in votis „nedum meis, ſed qvam plurimorum verſatur, „aperiam. Reddunt tuæ charitati tuoque zelo „pacis eccleſiaſticæ hoc teſtimonium inſigne, hoc „celeberrimum præconium, tum multi tum no„minatim præfatus Magiſter ac Dominus Gene„ralis, qvod in inclyto Arragonum regno nun„quam fuiſſent concordata pacis capitula, nun„quam ſubtractio, quæ tam viriliter & legitime „facta eſt ab illo, nimis proh dolor! erga matrem „Eccleſiam obdurato, Petro de Luna, fuiſſet atten„tata, ſi non auctoritatis tuæ pondus & conſilii „robur addidiſſes. Cuius favoris tam egregii,

nos

nos ipſi ſacro generali concilio præſentes, deſi-„
deratiſſimæ pacis, annis jam fere XL. miſerabi-„
liter exulantis, fructum & reditum proximum„
expectamus. Et o te felicem! o te ter quater-„
què beatum, ſi adeſſes præſentialiter, ſi non audi-„
tu ſolo ſed propriis oculis coram cernere volu-„
eris propinquam velut in januis ſummi Pontifi-„
cis electionem. Si videlicet efficaci celeritate,„
ſepoſitis interim turbis, jucundam tuæ præſen-„
tiæ faciem huic eidem ſacro concilio conſpici-„
endam attuleris, fructum ni fallor ampliorem„
& te tuisque moribus digniorem afferes, quam„
ſi hoc neglecto, permanſeris in inceptis. Me-„
mineris B. Pauli ad Galatas ſcribentis: Deinde,„
ait, poſt annos XIV. adſcendi Hieroſolymam„
cum Barnaba & Tito, & contuli cum illis Evan-„
gelium, quod prædico in gentibus: Seorſim„
autem his, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte„
in vanum currerem aut cucuriſſem. Hoc ſatis„
pro tua re dictum puto. Eſt ſiquidem apud„
nos altera velut Hieroſolyma: Sunt Apoſtolo-„
rum ſucceſſores, Reverendiſſimi & Deo amabi-„
les Prælati: Sunt legis doctores, cum quibus tuam„
ipſam prædicationem conferre tam ſalubriter„
quam humiliter poteris. Ut interim ſileam de„
alio profectu multiplici ſperato ſi veneris. Cre-„
de mihi, Doctor emerite, multi multa loquun-„
tur ſuper prædicationibus tuis, & maxime ſuper„
illa ſecta ſe verberantium: Qualem conſtat præ-„
teritis temporibus fuiſſe pluries & in locis variis„
repro-

„ reprobatam: Quam nec approbas, ut teſtantur
„ nati tui, ſed nec efficaciter reprobas. Iactan-
„ tur inde varii rumores per populos & apud nos
„ Quorum multa, etſi neque vera neque credenda
„ cenſeantur ab illis, qui te, ſicut Perſius loquitur,
„ intus & in cute norunt: nihilominus, exemplo
„ Pauli, qui per revelationem certisſimus erat,
„ prædicationem ſuam eſſe ſecundum Deum, vo-
„ luit propter condeſcenſionem ad infirmos, pro-
„ pter autoriſationem inſuper pleniorem per
„ Apoſtolos, deſcendere in Hieruſalem, & colla-
„ tionem habere cum Apoſtolis, ſic agere pla-
„ ceat, nominatisſime Magiſter ac Domine. Ac
„ interim bene vale, benevole ſuſceptor huius
„ literulæ, quam in procinctu ſcripſi, die, qua
„ ſolennitatem ipſius, quem prænominavi, Barna-
„ bæ, beatisſimi Pauli conſortis, præveniendo
„ recenſebam, IX. Julii, in vigilia ſacroſancti Sa-
„ cramenti. Porro quia neſcio, ſi forte non ex-
„ audiat hanc exhortationem zeli mei tua pru-
„ dens diſcretio, nolens huc accedere de præſen-
„ ti, judicavi tecum agere, ſicut mihi in veritate
„ conſcius ſum, quod in ſimili vellem erga par-
„ vitatem meam ſimiliter & ſinceriter agi. Mit-
„ timus, Reverendus Pater prænominatus, &
„ ego, querelas aliquorum, quæ in manus no-
„ ſtras nedum verbis, ſed ſcriptis devenerunt.
„ Et id agimus, non ad damnationem tuam, non
„ ad inculpationem, non ad irritationem, (novit
„ Deus) ſed cautelam ſuper his omnibus am-
pliorem

pliorem. Scio, millies expertus, quam varia „ ſemper, quam falſa de prædicantibus referun- „ tur, partim ex auditorum imperitia, partim ex „ arroganti quorundam malitia, contemtu, vel „ inuidia. Scio denique, qui ait: Da ſapi- „ enti occaſionem, & feſtinabit accipere. Interim bene vale in Domino, qui tuam in „ bono viam dirigat, cuſtodiat & confirmet. „ Amen! „

Hic in codice antiquo Gerſoniano A. 1484. Coloniæ edito epiſtola hæcce finita. Aſt in editione altera decennio abhinc ſecuta A. 1494. adjectum reperitur auctarium, vel conſenſus Cardinalis Cameracenſis, his verbis: Reveren- „ de Magiſter, & Pater chariſſime. Familiaria „ colloquia, quæ tecum in Janua & Padua, & „ quandoque alibi me habuiſſe recolo, ſermo- „ nesque tui ſalutares, quos audivi, de te omne „ bonum præcipueque humilitatem, quæ virtu- „ tum omnium fundamentum, præſumere a- „ gunt. Ideo cum dilecto fratre & ſocio meo „ Cancellario Pariſienſi ad præmiſſa te charita- „ tive exhortari perſuaſus ſum. Tuus per o- „ mnia Petrus Cardinalis Cameracenſis. Poſt „ ſcripturam & datam literarum iſtarum fue- „ runt die Veneris ultimo præterita, uniti ſa- „ cro Concilio Domini Caſtellani, qui ſimul iter „ ad alios fecerunt & publicarunt ſubtractio- „ nem a Petro de Luna. Digneris ad pacem „ regni imo & regnorum laborare, & bene va- „

„le. Scriptum 21. Junii, Conſtantiæ. Vale in „Domino, qui tuam in bono viam dirigat, cu„ſtodiat & confirmet. Amen. Tuus ad te devo„tus Johannes Cancellarius Pariſienſis.

In utroque vero antiquo Codice laudato hæc habetur ſubſcriptio, argumentum epiſtolæ complexa: „Epiſtola Magiſtri Johannis Gerſon ad „Sanctum Vincentium Ordinis Prædicatorum „miſſa. In qua hortatur, ut Concilium Con„ſtantienſe ſua perſonali præſentia accedere di„gnetur, ſectamque ſe flagellantium ut ad tem„pus deſerat modeſtiſſime inculcat (perſua„det.)

Epiſtolam hanc paullo prolixiorem ideo integram hic adponere voluimus, ut de magna iſtius viri exiſtimatione nobis eo melius conſtaret; unde certe mirari ſubit, tantos quoque viros & ſummis muneribus adhibitos, ad tantas ineptias ſe demittere potuiſſe. Dicitur præterea Alexander IV Pontifex, ſectam noſtram multis indulgentiis confirmaſſe, quod tamen dubitanter adfero. Suſpectus enim eſt ille auctor, apud quem iſta leguntur, quum ab aliis id confirmatum non videam: doctiſſimus vero Boileau p. 262. dicat, Alexandrum IV. Anagniæ ſedentem illos auctoritate Eccleſiaſtica confirmare noluiſſe.

3. Inter ſequiora, quæ de Flagellatoribus occurrunt, judicia illud mihi maxime ridiculum viſum eſt, quod quidam eos Antichriſti venturi prodromos ſtatuerunt. Puto hoc aut ſimile quid velle

velle Hermannum de Lerbeke in Chron. Comitum Schavvenburgenſium apud Meibomium t. I. p. 516. verba ſunt: *Flagellarii, ſive gens ſine capite adventum Antipatri prænunciabant.* Puto ita ſcribendum pro eo, quod ibi legitur, *pronunciabant.* Quis uero ſit ille *Antipater*, dubium adhuc eſt. Fallor? an *Antiochum* in animo habuit, qui quum in Judaicam Eccleſiam admodum fuerit crudelis, a quibusdam Patribus rediturus creditur, perinde ac Nero, quem etiam Anti-Chriſti ſodalem credit Sulpicius Severus aliquot locis. Loca de Antiocho jam quidem non ſuccurrunt, memini tamen fundamentum eius rei ex penultimo & ultimo capite Danielis petitum eſſe.

4. Ad ipſum Pontificem Romanum Clementem VI. quod ſpectat, jam ſupra docuimus, eum hanc ſectam fulmine Apoſtolico litteris ad complures Archi-Epiſcos & Metropolitanos miſſis, percuſſiſſe, & excommunicaſſe. In cujus rei teſtimonium, ipſum diploma totum inſeremus ex Odorico Raynaldo ad a. 1349.

Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, „ venerabilibus fratribus, Archi-Epiſcopo Ma-„ gdeburgenſi, (a) ejusque ſuffraganeis ſalu-„

 tem

(a) *Maguntinenſi Archi-Epiſcopo* idem diploma inſcriptum fuiſſe teſtatur Petrus de Herentals Prior Floreſfienſis in vita Clementis VI. apud Baluzium in Pontiff. Avenionenſibus tom. I. p. 316. Ex quo etiam priora illius

„ tem & Apoſtolicam benedictionem. Inter
„ ſollicitudines innumeras, & immenſas, quibus
„ ultra vires ex Apoſtolicæ ſervitutis debito per-
„ urgemur, illud cordi noſtro potiſſime inſidet,
„ & ad hoc ardentius ſtudia noſtra convertimus
„ & conatus, ut apud omnes Chriſti nominis Pro-
„ feſſores orthodoxa fides fulgeat, & ſic Catholi-
„ cæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ norma ſine quocun-
„ que fictionis, ſimulationis ſeu velaminis pallio
„ pure & laudabiliter obſervetur, quod (b) a vi-
„ nea Domini Sabaoth, cujus cura nobis, licet im-
„ meritis, eſt commiſſa, vepres & urticæ, tam pe-
„ riculoſe, quam damnabiliter ſuccreſcentes e-
„ vellantur radicitus, & vulpeculæ, quæ ipſam
„ demoliri nituntur, per apoſtolicæ ſedis provi-
„ dentiam abigantur. Sane moleſta nobis, licet
„ fide digna, magnorum relatio, & multo-
„ rum aſſertio noſtrum & fratrum noſtrorum non
„ mediocriter turbavit auditum, quod in partibus
„ Alamanniæ, & ei convicinis quædam ſub præ-
„ textu devotionis, & agendæ pœnitentiæ vana
„ religio, & ſuperſtitioſa adinventio procurante
„ ſatore malorum operum inſurrexit, per quam
„ profana multitudo ſimplicium hominum, qui
„ ſe Flagellatores appellant, decepta, verbis fi-
„ ctis & mendacibus malignorum, aſſerentium
Sal-

lius verba, uſque ad hæc: Moleſta nobis &c. exſcripſimus, & cum ſequentibus coniunximus, nam ea ipſa in Odorico Raynaldo non leguntur.

(b) pro *ut* finali, ex more iſtorum temporum.

Salvatorem noſtrum Jeroſolymis Patriarchæ Je-„ roſolymitano apparuiſſe (cum tamen a longis „ citra temporibus nullus ibidem præſentialiter „ fuerit patriarcha) & ſibi aliqua dixiſſe, quæ co-„ lorem non habentia nec ſaporem, in quibus-„ dam ſcripturæ ſacræ obviare noſcuntur; in il-„ lam cordis veſaniam, & inane damnationis „ præcipitium eſt deducta, & de die in diem ſug-„ geſtione hoſtis antiqui ſe, ut dominicum gre-„ gem devoret, transferentis in lucis angelum, „ nimium ſuccreſcendo deduci, cortina trahente „ cortinam periculoſius formidatur, quod ſe per „ ſocietates & conventicula, licet caudas invicem „ colligatas habeat, dividens, diverſas circuivit „ patrias, (c) cæterorum vitam & ſtatum conte-„ mnendo: ſe juſtificant, & claves eccleſiæ vili-„ pendunt; at in contemptum diſciplinæ eccleſi-„ aſticæ, crucem Domini ante ſe, & habitum cer-„ tum, nigrum videlicet, ante & retro ipſius vivi-„ ficæ crucis appenſum habentes ſignaculum, ſine „ ſuperioris licentia deferentes, ſub nomine pœ-„ nitentiæ, vitam gerunt inſolitam: congrega-„ tiones conventuales, quæ a jure ſunt prohibitæ, „ faciunt; & ad alios actus proſiliunt, a vita & „ moribus communibus & obſervantia fidelium „ alie-

(c) *Patriæ* vox illis temporibus notavit *regionem, terram.* Significatio iſta occurrit apud Gulielmum Britonem locis compluribus, nominatim 1. 462. 2. 234, 532: 3. 179, 291, 293. vide Barthium ad 7.827. & Reineſium Defenſ. Variar. Lect. p. 122.

„ alienos: ordinationes & etiam ſtatuta, quibus „ utuntur, ſeu verius abutuntur, propria temeri- „ tate fecerunt, erroris ſuſpicione non vacua, & „ judicio carentia rationis, ſed tam Deo quam & „ hominibus amplius odioſa. Turbamur acer- „ bius, & durius anxiamur, quod quidam reli- „ gioſi, præſertim de ordinibus mendicantium, „ qui alios ab invio revocare debuerant, & ad vi- „ am reducere veritatis, ab utero matris eccleſiæ, „ velut maledictionis filii nequiter aberrantes, „ linguas ſuas, ut alios protrahant in errorem, „ acuunt; quibus corda debilia vulnerant in- „ firmorum, & ignorantes Dei juſtitiam, & ſuæ „ prudentiæ innitentes, dum legi Dei nolunt eſſe „ ſubjecti alios in perſuaſibilibus humanæ ſapi- „ entiæ verbis prædicando, & dogmatizando, „ contra eccleſiaſticam libertatem, ab ipſa fidei „ veritate ſubducere moliuntur. Et ut effica- „ cius officiant, & conceptum virus latenter ef- „ fundant, blandis prius ſermonibus auditores, „ quaſi bonum vinum primum ponendo, ſata- „ gunt irretire, ut cum inebriati fuerint, illud, „ quod eſt deterius ingerentes, cum ipſis in per- „ ditionis laqueum incidant, ac in profundum „ malorum pariter demergantur.

„ Nos igitur tam pernicioſo, & periculoſo „ principio, per quod ultra divinæ Majeſtatis of- „ fenſam, magnum reipublicæ paratur pericu- „ lum, & apud fideles ſcandalum generatur, ne „ deterius proceſſus pariat, & ſucceſſus, vitare vo-

len-

lentes; & conſiderantes, quod cum plerique „
ex ipſis ſeu adhærentes eisdem ſub pietatis „
colore ad impietatis opera laxantes crudeli- „
ter manus ſuas, Judæorum (quos pietas Chri- „
ſtiana recipit & ſuſtinet, offendi eos aliqua- „
tenus non permittens) & frequenter Chri- „
ſtianorum ſanguinem effundere, & opportu- „
nitate captata, bona clericorum & laicorum di- „
ripere, & ſuis juribus applicare, ac ſuperiorum „
jurisdictionem uſurpare, & ad multa alia illi- „
cita prorumpere minime vereantur, timendum „
eſt, quod tam præſumpta temeritas, & temera- „
ria præſumptio, niſi ei per ſalubre antidotum „
occurratur, poſitura ſint non levem perniciem, „
& aliquorum morbi lethalis contagio ſerpens „
in plurimos, ſero recipiat medicinam; atten- „
dentes inſuper, quod error, cui non reſiſtitur, „
quodam modo approbari videtur, & quod ex „
officio nobis injuncto compellimur, ut quos „
per iter devium errando currere, & plures in „
præcipitium ſecum trahere proſpicimus, ac in „
diſperſione multarum gentium ambulare, re- „
vocemus a devio, & ut in viam veritatis, & ju- „
ſtitiæ greſſus ſuos dirigant, providere per op- „
portuna remedia ſtudeamus; fraternitati ve- „
ſtræ per apoſtolica (d) committimus, & diſtri- „

(d) *Apoſtolica.* Odor. Raynaldus in margine adpoſuit vocem *ſcripta*, quod neſcio, an ita in aliis Codd. invenerit. Certe *Apoſtolicum* ſubſtantive uſurpatur, & ſubintelligitur *breve*, *diploma*, *ſcriptum*.

„ cte præcipiendo mandamus, quatenus ſin-
„ guli veſtrum in ſingulis veſtris civitatibus & di-
„ œceſibus,per vos, vel alium, ſeu alios, adinven-
„ tiones huiusmodi, & ritus profanos, (quos una
„ cum ſocietatibus, conventiculis, & congrega-
„ tionibus, ac ſtatutis & ordinationibus per ſu-
„ pradictos, qui ſe, ut præmittitur, flagellato-
„ res appellant, temerarie attentatis, de Fratrum
„ noſtrorum conſilio perpetuæ prohibitioni ſub-
„ iecimus, & tanquam illicita reprobavimus) au-
„ ctoritate noſtra reprobos & illicitos publice
„ nuncietis: ac omnes tam clericos, ſeculares &
„ regulares, quam laicos de prædicta ſuperſtitio-
„ ſa ſecta ſeu ſocietate, quocunque appellentur
„ nomine, exiſtentes, vel eam ſectantes, aucto-
„ ritate prædicta monere & inducere ſtudeatis,
„ vt ab huiusmodi obſervantia,ſecta, & vana glo-
„ ria, taliter deſiſtere & reſilire procurent, quod
„ nullus deinceps prædictam ſectam ſeu conven-
„ ticulum præſumat intrare, aut ritus aut ſtatuta
„ ſocietatum huiusmodi obſervare; contrarium
„ facientes per cenſuram eccleſiaſticam coërcen-
„ do: nec non & eos, in quos temporalem juris-
„ dictionem habetis, per pœnas temporales, de
„ quibus expedire videritis, appellatione poſtpo-
„ ſita compellatis.

„ Sane ut religioſi, & alii errorum magiſtri,
„ qui prædicando & dogmatizando ſimplices de-
„ cipiunt, & cœci ducatum cœc s præbentes,
„ ipſos in foveam ſecum trahunt; &, ſi non di-

vino

vino amore, ſaltem humana confuſione a tam „ iniquo propoſito revocentur; omnes & ſingu- „ los, cujuſcumque ſint ordinis, religionis, digni- „ tatis, præeminentiæ, ſive ſtatus, quos in prædi- „ ctis vobis conſtiterit deliquiſſe, capi (non ob- „ ſtante quocumque privilegio vel indulto, quod „ in hoc eis ſuffragari nolumus) faciatis; & tam „ diu captos detineatis, donec aliud a nobis rece- „ peritis in mandatis, invocato ad hoc, ſi opus „ fuerit, auxilio brachii ſecularis. Per prædicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin „ Chriſti fideles impoſitam ſibi canonice pœni- „ tentiam, vel etiam non impoſitam (dummodo „ recta intentione & pura devotione ad illam per- „ agendam procedant) in ſuis hoſpitiis, vel alias „ absq; ſuperſtitionibus, congregationibus ſocie- „ tatibus, & conventiculis ſupradictis poſſint face- „ re, & ſe in bonis operibus exercendo, virtutum „ Domino, prout ipſe inſpiraverit, in humilitatis „ ſpiritu deſervire. Cæterum, quia præſentes literæ „ nequirent ſingulis veſtrum propter viarum diſ- „ crimina commode præſentari, volumus quod „ (e) te, frater Archi-Epiſcope, earum tranſum- „ ptum publica manu ſcriptum, & tuo com- „ munitum ſigillo, vobis ſuffraganeis trans- „ mittatur, cui adhiberi volumus plenam fi- „ dem. Datum Avinione, XIII. Kal. Novem- „ bris, anno VIII. „

F 5 5. Sta-

(e) *τὸ per* h. l. in margine exhibet Raynaldus.

5. Statim vero anno MCCCXLIX. Univerſitas Pariſienſis Eccleſiaſticæ paci ſemper intenta, prima die Martis poſt feſtum omnium Sanctorum, poſt factam a Rectore & Deputatis definitionem, quæ in congregatione generali a tota Univerſitate examinata, omniumque Facultatum & Nationum calculis comprobata eſt; ut habetur in Regeſto Nationis Anglicanæ, tunc eiusdem Procuratore M. Jo. de Lovanio Hollandino ſic ſcribente: *Anno Domini 1349. prima die Martis poſt feſtum O. S. facta fuit Definitio contra Flagellatores per D. Rectorem & tunc Deputatos & a tota Univerſitate in Congregatione generali examinata eſt & conceſſa.* Hæc Cæſar Egaſſius Bulæus in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis tom. 4. p. 315. qui tamen conqueritur, ſe nusquam in antiquis Commentariis & Codicibus Definitionem iſtam reperire potuiſſe.

6. Refutationem porro contra hanc ſectam Flagellantium ſcripſit M. Joannes Gerſon, Eccleſiæ & Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, vir multis editis ſcriptis celeberrimus; eamque in Concilio Conſtantienſi MCCCCXVII. die 18. Julii exhibuit. Quam nos integram quoque inſeremus.

OPVSCVLVM IO. GERSONIS, contra ſectam flagellantium ſe &c. ſub aliquibus conſiderationibus.

„ 1. Lex Chriſti dicitur lex amoris, quam dominus, ſicut dicit Auguſtinus, voluit pauciſſimis

mis ſacramentis eſſe contentam. Et inde cul- „
pat eos, qui *ſervilibus* eam premunt *oneribus*: „
conformiter ad illud primi paſtoris Petri, Act. „
15. Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper „
cervicem diſcipulorum; quod neque nos, ne- „
que patres noſtri portare potuimus: ſed per „
gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus „
ſalvari, quemadmodum & illi. O pium ver- „
bum omni acceptione digniſſimum! „

2. Lex Chriſti non minus debet in cultu ſuo „
vitare ſuperſtitiones gentilium, & idololatra- „
rum, præſertim crudeles & horrendas, quam „
antiqua lex; in qua tamen prohibitio fit per „
expreſſum Deut. 14. ubi dicitur: Filii eſtote „
Domini Dei veſtri, non vos incidetis. Gloſſa: „
non debetis in aliquo idololatris aſſimilari. Et
in Hebræo habetur: Non vos lacerabitis: hoc „
autem faciebant idololatræ, ſicut habetur 2. „
Reg. 18. ubi dicitur, quod incidebant ſe iuxta „
ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfun- „
derentur ſanguine. Compertum ſiquidem eſt, „
& traditum homicidas illos, & apoſtatas dæmo- „
nes eſſe cupidos effuſionis ſanguinis, præſertim „
humani. „

3. Lex aliqua quanto eſt iniquior, & dæmo- „
niis obſequentior, tanto ſemper invenitur cru- „
delior, & amarior. Patet in illis, qui filios „
ſuos & filias immolabant dæmoniis. Hinc „
Dominus ait per Prophetam: Servietis diis a- „
lienis, qui non dabunt vobis requiem: Chri- „

ſtus

„ ſtus autem ex gratia ſua, (ſicut notatur in dicto
„ Petri prius allegato) voluit nos miſericorditer
„ ſalvare per ſanguinem ſuum ſemel effuſum:
„ per quem factus eſt nobis a Deo ſapientia, juſti-
„ tia, ſanctificatio & redemptio.

„ 4. Lex Chriſti maximam ſortitur virtutem
„ ex miſericordia & gratia ſua: cujus gratiæ vaſa
„ ſunt ſacramenta novæ legis ex virtute operis
„ operati: Et ideo quicquid avertit a ſacramen-
„ tis ſuſcipiendis, præſertim a ſacramento con-
„ feſſionis, debet rejici fideliter. Conſtat au-
„ tem per experientiam, quod taliter ſe flagel-
„ lantes non curant de ſacramento confeſſionis,
„ vel pœnitentiæ ſacramentalis, dicentes, quod
„ hæc flagellatio potior eſt ad delendum peccata,
„ quam quæcumque confeſſio: imo eam æquipa-
„ rant nonnulli, vel præponunt martyrio: quo-
„ niam facimus, inquiunt, ultro fundendo ſan-
„ guinem proprium, quod ab aliis martyres pati
„ cogebantur. Formidandum tamen iſtic eſt,
„ ne apud perſonas clericales, & in locis ſacris
„ cauſet hæc pollutio ſanguinis vel excommuni-
„ cationem vel contaminationem & prophana-
„ tionem in eiſdem locis ſacris.

„ 5. Lex Chriſti prohibet ſolicite pœnitentias
„ publicas dandas eſſe clericis, ſacerdotibus &
„ prælatis, propter reverentiam ſtatus clericalis,
„ quanto minus debent tales perſonæ ſuſcipere
„ pœnitentias hujusmodi publicas, ſicut ſunt (ut
„ fertur) multi de numero ſe flagellantium; qui
licet

licet videantur celare ſe: tamen ſatis cogno-„
ſcuntur. Similiter diceretur de perſonis inſi-„
gnibus in utroque ſexu: de ſervanda inſuper„
verecundia juvencularum, & juvenum illic ſe„
denudantium: & de non infringenda gravi-„
tate virorum, vel autoritate minuenda paren-„
tum.„

6. Lex Chriſti, ſi videatur flagella indulge-„
re, juxta illud: Ecce ego in flagella paratus„
ſum: nihilominus circumſtantiæ debent appo-„
ni, quibus rationabile fiat obſequium noſtrum.„
Una quod hujusmodi flagellatio fiat judicio ſu-„
perioris imponentis talem pœnitentiam; &„
quod ab altero fiat, & moderate, & ſine ſcan-„
dalo, & oſtentatione, ac ſine ſanguine, juxta tra-„
ditionem Guil. Pariſienſis, quemadmodum ſit„
hujusmodi flagellatio in religionibus approba-„
tis, & ab aliquibus devotis perſonis. Sed ali-„
ter longe videmus in illis, quæ reprobamus, fla-„
gellis obſervari.„

6. Lex Chriſti declarata per Eccleſiam, (cu-„
jus autoritas major eſt in ſua conſuetudine di-„
cente ſancto Thoma) quam ſit autoritas unius„
doctoris, ſicut Hieronymi, vel Auguſtini)„
ſemper ſectam flagellantium ſe reprobavit,„
poſtquam inſurgere videbatur in diverſis mun-„
di partibus: & hoc de memoria plurium ho-„
minum viventium, tam in Lotharingia, quam„
in Alamania, & in Francia pluribus in locis,„
juxta

„juxta narrationes hominum, & Chronicas „Franciæ, ac ſcripturas fide dignas.

„8. Lex Chriſti frequenter prohibuit multas obſervationes Beghardorum & Beghardarum, quæ in prima ſui introductione prætendebant ſpeciem magnæ religionis, ac multi „fructus ſpiritualis in animabus, & exempla ſalutis, & auſteritatis. Prohibuit inquam propter ſequelas malas & multas, quæ ſub hoc prætextu fieri ſunt inventæ. Non enim eſt malum „quod ſubſiſtere poſſet, ſi non aliquam ſpeciem „haberet in ſe boni: propterea fallit hæc argumentatio: Proveniunt ex hac ſecta flagellatorum multa bona: Non igitur tollenda, vel „reprobanda.

„9. Lex Chriſti nedum ordinat hominem „ad Deum, ſed etiam ad proximum, & ad principem ſeu prælatum ſuum: propterea non debet qualiscunque ritus introduci per populos, „qui poſſit cauſare ſeditionem, vel partialitatem, „vel ſuperſtitionem, ſed debent omnia regulate „fieri, & ordinate de mandato, & ordinatione „ſuperioris, ut nullatenus ordo hierarchicus „confundatur: quod fieret, ſi quilibet ad arbitrium ſuum poſſet inſtituere, vel fovere „novum ritum ſine duce, ſine lege ſtabili, ſine ordine ubi ſunt juvenes & virgines, ſenes „cum junioribus, ſimul in unum dives & pauper

per, & illorum turba magna, de quibus ait Ec- „
cleſiaſtes: ſtultorum infinitus eſt numerus. „

10. Lex Chriſti, ſufficienter data eſt in præ- „
ceptis decalogi, quorum obſervatio facta cum „
bona ſimplicitate, & ut ita dicatur, groſſa fide, „
ſatis eſt ad ſalutem, præſertim laicorum & po- „
pularium, absque nova graviſſimorum onerum „
impoſitione, juxta illud Chriſti: Si vis ad vi- „
tam ingredi, ſerva mandata. Nec valet, ſi „
dicatur, quod populares ſuſcipiunt voluntarie „
tales flagellationes ſine præcepto alio, dum „
invenitur, quod ipſi divina præcepta liberius „
in multis inde contemnunt. Eſt enim con- „
tumax humana natura, quæ poſtquam deſti- „
tuta eſt ab originalis juſtitiæ ſtatu, cupidius fer- „
tur in illa, quæ ſunt adinventionis ſuæ, quam „
quæ ſunt divinæ juſſionis: & hic eſt unus ſu- „
perbiæ gradus, quem apud religioſos loquitur „
Bernhard. inveniri, dum plus gaudent in abſti- „
nentia, vel oratione particulari ſpontaneo „
ſumpta, quam in tota regulari diſciplina.

11. Lex Chriſti ſufficienter ab Apoſtolis, „
& ſacris doctoribus explicata, non invenitur „
tales novitates flagellantium ſe conſtituiſſe „
prædicando, vel aliter; ſed potius reprobaſ- „
ſe, tanquam ſuſpectiſſimas, & periculoſiſſi- „
mas, & quæ vergere poſſunt in Scandalum „
Chriſtianorum apud Judæos, Saracenos, & Pa- „
ganos,

„ganos, tanquam lex Chriſti ſit auſtera, cru-
„delis, & in ſanguinibus, non in miſerationi-
„bus enutrita.

„12. Lex Chriſti docet ex præmiſſis, & ſimili-
„bus multis prælatos Eccleſiæ paſtores, & docto-
„res, imo & principes, quod ſectam hujusmodi
„cruentam, & ſanguinolentam (gallice ſanglante)
„ſtudeant, & laborent deſtruere, ſeu compeſcere
„tam bonis prædicationibus, & bonis ſuaſioni-
„bus, quam cenſuris, nedum eccleſiaſticis, ſed
„etiam temporalibus more prædeceſſorum; at-
„tento quod ſub hoc velamine, ac prætextu pœ-
„nitentiæ fiunt innumera mala, ſicut experti
„teſtantur, inſurgunt hæreſes, vilipenduntur
„proprii ſacerdotes, contemnuntur confeſſio-
„nes, & pœnitentiæ ſacramentales, extorquen-
„tur doloſis modis pecuniæ, otia, quæ pigros
„occidunt, nutriuntur; ſilemus de furtis, de
„ſtupris, & adulteriis, de periculis, quæ ſunt in
„falſis fratribus, & fraudulentis ſolicitationi-
„bus ad omne facinus atque flagitium, ita, ut
„bonis & malis hinc inde ſtatera juſta, vel æ-
„qua lance penſatis, mala multo plura, quam
„bona parturire cognoſcatur hæc ſecta ſe fla-
„gellantium pridem, & pluries jam damnata.
„Propterea dum repullulat, vel excreſcit, toto
„ſtudio funditus evellenda proterendaque cen-
„ſetur. Verum quoniam oportet in hoc malo
„jam radicato, & quod latiſſime ſerpit, procede-
re

re pedetentim, & caute, dum quæruntur era-„ dicari zizania flagellatorum hujuſmodi, ſimul„ evellatur & triticum prius ſeminatum boni ſa-„ lubriſque verbi Dei. Notetur igitur cautela,„ quæ duplex infra ſcripta.

13. Fiat imprimis exhortatio vehemens, &„ crebra, de & ſuper autoritate facti Concilii„ dum illud eſt. Similiter de autoritate Papæ,„ & Eccleſiæ Romanæ, quatenus quilibet habeat„ promptitudinem animi, parere, vel obedire„ mandatis, vel inſtitutionibus, ſeu Conciliis„ prædictorum: quemadmodum facit egregius„ & fervidus prædicator magiſter Vincentius,„ ſicut patet ex literis propria manu ſubſcriptis,„ noviſſime miſſis Conſtantiam. In quotidia-„ nis, inquit, recommendationibus ſacri, & vni-„ verſalis Concilii Conſtantienſis, quas facio,„ poſt ſermonem docui, & doceo omnes fideles„ ſubmittere omnia facta & verba, ac etiam ſcri-„ pta determinationi, ac etiam correctioni eius-„ dem ſacri Concilii. Subdendo: Et ſic facio in„ omnibus factis, & dictis, ac etiam ſcriptis meis.„ Hæc ibidem, quæ manifeſtant diſcretam humi-„ litatem & humilem diſcretionem tanti viri,„ quæ diſcretio poſita eſt a ſanctis patribus du-„ ctrix, aurigaque virtutum, dum inſtar devoti„ Bernhardi plus alieno, quam proprio credit iu-„ dicio.„

„ 14. Porro non eſt formidandum retractio-
„ nis, (quæ forſan opponetur) opprobrium. Sit
„ in exemplo beatus Auguſtinus, cujus retractio
„ nec inhonoravit eum, nec autoritatis dicto-
„ rum ſuorum robur evertit. Nihil enim (ut
„ quidam ait) efficacius ad docendum, quam
„ verbum verax, ſimplex, & humile, nihil ha-
„ bens fictionis, vel ſuperbæ præſumptionis ad-
„ mixtum: quoniam Deus eſt, qui cum ſimpli-
„ cibus graditur, dans eis gratiam & virtutem
„ uberibus ſuis, ſine qua laborat in vanum lingua
„ loquentis.

„ 15. Fiat oſtenſio, quemadmodum fuerunt
„ quandoque inchoata pia devotione, quæ pro-
„ ceſſu temporis inveniuntur deteriores exitus
„ accipere, vel propter ſcandalum puſillorum,
„ vel propter ſcientiæ defectum, ſicut loquitur
„ de quibusdam Apoſtolus: Teſtimonium in-
„ quit, perhibeo eis, quia zelum Dei habent, ſed
„ non ſecundum ſcientiam. Fiat itaque ſic do-
„ cendo, ſic prædicando, quod non ita reproba-
„ buntur perſonæ ſingulæ, quæ præſentibus tem-
„ poribus flagellaverunt ſe: quod videantur
„ nunc damnandæ, vel penitus execrandæ, dum-
„ modo deinde obediant monitioni ſalutari in-
„ culcando, quemadmodum melior eſt obedien-
„ tia, quam victimæ. Et quod juſſione divina in
„ omni ſacrificio tuo ſal offeres. Fiat exhorta-
„ tio diligens & vehemens ſuper laudibus patien-
tiæ

tiæ, quæ perfectum opus habet, præferendo ,,
eam talibus ultro acceptis flagellationibus, iux- ,,
ta quod loquitur Auguſtinus conformiter ad Se- ,,
necam: Quod adverſitates ſeculi hujus non tam ,,
infligendæ ſunt, quam dum evenerint, patien- ,,
ter tolerandæ, faciendo per patientiam de ne- ,,
ceſſitate virtutem. Non ſum tam demens (in- ,,
quit Seneca) ut ægrotare velim: ſed ſi ægrotan- ,,
dum eſt, patienter tolerabo. Debebunt pro- ,,
inde numerari diligenter, atque ſigillatim tri- ,,
bulationes variæ, nunc temporales, nunc ſpiri- ,,
tuales, quæ aſſidue nobis dant & ingerunt, veli- ,,
mus, nolimus, patientiæ materiam: cujusmodi ,,
ſunt infirmitates, paupertates, vexationes, an- ,,
gariæ, mortes parentum atque filiorum, bella, ,,
rapinæ, incendia, detractiones, contumeliæ, ,,
labores manuum in agricolis, & mechanicis, ,,
tentationes rurſum variorum peccatorum; ,,
quando intus pugnæ, & foris terrores. Et ,,
quis cunctas hujusmodi tribulationes dinume- ,,
ret? quæ tot, & tales ſunt, ut non oporteat no- ,,
vas ſuperinducere: quoniam ſatis eſſet tole- ,,
rantia fortis tribulationum hujusmodi quoti- ,,
dianarum pro purgatione magna peccatorum; ,,
præſertim adjuncta contritione, & humili con- ,,
feſſione in re, vel propoſito, tempore & loco. ,,
Juxta quod rogabat quidam: fiat pars purga- ,,
tionis meæ purgatorium meum: labor quo hic ,,
per ſingulos dies exerceor. Et profecto ſic eſt: ,,
plus aliquando valet pia flagellorum Dei ſub ,,

„ ejús manu tolerantia ſine murmure, ſine re„ prehenſione divinorum judiciorum, ſine ran„ core, vel odio contra ſuperiores ſuos, vel alios „ affligentes ſe juſte, vel injuſte, quam ſi manens „ iracundus & impatiens, nedum flagellaret ſe„ ipſum ad ſanguinem, ſed laceraret, & decerpe„ ret membratim ad mortem.

„ 16. Imo ſicut non licet hominem ſeipſum „ propria autoritate mutilare, vel caſtrare, niſi „ pro ſanitate totius corporis conſequenda: ſic „ nec licet (ut videtur) quod a ſeipſo quis ſan„ guinem violenter ejiciat, niſi cauſa medicinæ „ corporalis: Alioquin ſimili ratione poſſet ſe „ homo cauterizare per ferrum ignitum: quod „ adhuc nemo poſuit, vel conceſſit, niſi forte „ idololatræ, vel falſi Chriſtiani, quales reperiun„ tur in India, qui ſe putant baptizari debere per „ ignem.

„ 17. Fiat in ſpeciali velut in quadam radice „ provifio ſolers, & exacta circa ſocietatem il„ lam multum numeroſam: a qua videtur incho„ ata, vel ſaltem multum continuata & obfirma„ ta flagellatio talis. Unde cum dicant, ſe ſub „ obedientia eſſe, primitus imperandum eſt, ut „ deſiſtant, & deſiſtere ſuadeant alios ſub mode„ ratione, quæ dicta eſt: videlicet niſi, vel quo„ uſque ſacrum Concilium vel Eccleſia Romana „ mandaverit, vel toleraverit hæc fieri, allegando

regu-

regulam naturalem, quod ubi dubitatio ſurgit de,,
aliquo actu, an poſſit licite fieri, vel omitti, tu-,,
tius eſt omittere, quam facere; præſertim ubi,,
factio generare cernitur ſcandalum aliorum.,,
Unde eſt illud Apoſtoli: ſi eſca ſcandalizet fra-,,
trem meum, non manducabo carnes in æter-,,
num. Videretur proinde numerus talis coar-,,
ctandus, & ſollicite purgandus, ne ſub eorum,,
multitudine etiam bonorum, mali & reprobi,,
deliteſcant. Denique populus, quando erigi-,,
tur ad novitates, illæ ſunt illis ingerendæ, in,,
quibus eſt tuta ſalubriſque devotio; ſicut de mi-,,
ſericordia ſanctorum, & recurſu ad eos, vel ad,,
angelum proprium cuſtodem; ad ſanctum, cu-,,
jus nomen perſona gerit, ad illam matrem Dei,,,
& virginalem ſponſum ſuum Joſeph, numeran-,,
do prærogativas eorum.

Proinde, ſi prædicandum fuerit, de finali ju-,,
dicio, vel antichriſto, fiat hoc in generali, con-,,
cludendo, quod in morte quilibet habet ſuum,,
judicium proximum & incertum. Quod ſi,,
quis inducere voluerit miracula nova ſuper an-,,
tichriſti adventu proximo, notet quod mundus,,
ſeneſcens patitur phantaſias falſorum miraculo-,,
rum; ſicut homo ſenex phantaſiatur in ſomno:,,
Propterea ſunt nunc habenda miracula valde,,
ſuſpecta, niſi facta prius examinatione diligen-,,
ti.,,

„18. Obſervandum præterea ſummopere vi-
„detur apud tales de ſocietate, quod nullo
„modo vivant damnoſe, ſi laborare poſſint, ut
„ſint ad monitionem, & exemplar laboranti-
„um, ut præterea nihil agant contentioſe, &
„velut ex vituperio, & contemptu prælatorum
„majorum & minorum, vel aliquorum gene-
„raliter clericorum; neque in prædicationi-
„bus faciendis, neque in confeſſionibus audi-
„endis. Propterea debent in omni loco, quo
„primo veniunt, primitus habere collocutio-
„nem, & beneplacitum cum eccleſiaſticis, vel
„eorum capitibus, ne ſchiſma forſan fiat laico-
„rum ad Clericos, vel e contra.

„19. Tandem ſi forte ſenſerit doctor inſi-
„gnis magiſter Vincentius, non poſſe con-
„venienter ſuper præmiſſis ſalubriter & effi-
„caciter providere, videtur conſultius, ut ad
„tempus ſegregaret præſentiam ſuam, effu-
„giens tantam ſocietatem, quod fieri poſſet vi-
„ſitando ſacrum Concilium, vel altera occaſio-
„ne ſibi ſumpta.

„Hæc interim notata ſunt, velut in quodam
„transcurſu, magis ad rememorandum, quam
„docendum XVIII. Julii, Anno Domini
„M. CCCC. XVII. Conſtant. tempore Con-
„cilii.

7. Duo

7. Duo præterea fuerunt, qui contra hanc ſectam noſtram publicis ſcriptis inſurrexerunt. Unus erat Magiſter Hermannus de Schildis, in conventu Oſnaburgenſi Theologiæ Doctor, qui inter alia *tractatum* quoque ſcripſit *contra errores Flagellatorum* teſte Jo. Schiphowero in Chron. Oldenburgenſium Archi-Comitum apud Meibomium tom. 2. p. 159. Alter Jo. ab Indagine, quem *contra Flagellatores librum* 1. ſcripſiſſe ait Trithemius de ſcript. Eccl. fol. 119. a. Sed quum ambo illa ſcripta hactenus fuerint inedita, eorum nobis copia fieri nondum potuit. Si tamen in aliqua Germanniæ bibliotheca adhuc ſuperſint, non dubito, me in poſteriore, ſi quæ ſecutura eſt, huius opuſculi editione illa benevolo lectori exhibere poſſe.

8 In Gallia ſub initium ſeculi XVII. Edmundus Augerius Hen. III. Regi a ſacris confeſſionibus, qui & ipſe Regem ad hoc pœnitentiæ genus ſuſcipiendum incitaverat, librum quendam ſcripſit, cui titulum fecit: *diſcurſum de pœnitentia*, in quo ille flagellorum uſum ſtrenue defendit. Et Gretſerus Jeſuita notisſimus eius libri Apologiam quandam confecit. Poſtea Servinus Advocatus Generalis actionem quandam contra Flagellatores tradidit Senatu ſupremo Pariſienſi, quem Parlamentum vocant, anno M DCI. in qua hoc uſus eſt initio: *Non oportere quenquam adoptare hypocritæ illius ſententiam qui diſcurſum de pœnitentia*

tia edidit, ſed opinionem potius Tertulliani ſequendam eſſe, qui non voluit nos usque ad effuſionem ſanguinis mortificari. Ad cuius etiam poſtulationem editum eſt Senatus Conſultum, in quo flagellationes iſtæ ſuperſtitioſæ uno ictu abolitæ ſunt & prohibitæ. Hæc Boileau c. 9. p. 291. 300.

9. Hæc ſunt, quæ ex noſtra penu de ſecta Flagellantium in medium proferre potuimus. Plura ſunt, quæ omittenda nobis fuerunt, quum omnium librorum, qui evolvendi erant, nobis non fieri potuerit copia. Interim ſpero lectores his collectaneis fore contentos, donec occaſio dabitur ea ulterius deducendi. Finimus cum viro omnis generis flagellis maiorem in modum caſtigato:

SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM

INDEX I.

AVCTORVM, AD QVORVM TESTIMONIA IN HOC OPVSCVLO PROVOCATVR.

Acta Inquiſitionis Jo. XXII. adv. Petrum de Palude. 21
Adlzreitterus. 54. 66. 67. 69
Albertus Magnus. 16
Albertus Strasburgenſis. 29. 30. 31. 32. 34. 43. 66
Anonymus Erphesphordienſis. 2. 3. 15. 71
— Monachus S. Juſtinæ Paduanus. 13. 14. 28. 43. 55. 62
Arnulphus Lexovienſis. 21
Auctor Calendarii Bohemici. 28. 55. 62. 68
— Chronici Alſatiæ vernaculus. 66
— Chronici Auguſtenſis. 15. 32. 33
— Chronici Magni Belgici. 68
— Chronici Magdeburgenſis. 19. 28. 68. 73
— Compilationis Chronologicæ a Madero editus. 5. 64
— a Piſtorio editus. 4. 64. 70
— Vitæ Clementis VI. 5. 27. 43
— alius. 6. 34. 43. 54
— alius MS. in Bibl. Vat. 64
— de temporibus mundi. 7. 29. 70

Aven-

Aventinus. 43.62
Barthius. 21. 85
Boileau. 20. 56. 76. 82
Bucelinus. 68
Bulæus. 43. 44. 53. 69. 90
Bzovius. 20. 43
Cave. 7
Chladenius. 7
Cramerus Dan. 35. 43. 44
Continuator Guill. de Nangis. 15.21.27.40.43.52
— *Urſpergenſis.* 62. 64. 65. 66. 67
Dlugoſſus. 21. 34. 43. 46. 53. 61. 63
Dubravius. 27. 33
Ducæus Front. 32
Elogia Epiſcop. Carnotenſium. 21
Engelhuſius Theod. 3
Fabricius Georg. 3. 4. 5. 30. 32. 33. 53. 63. 67
Francus Seb. 31. 32. 43. 66. 67
du Freſne. 3. 22. 40. 47
Friſius Tilem. 31
Fulbertus Carnotenſis. 21
Gerſon Jo. 7. 77. 90
Gregorius Turonenſis MS. 21
Gretſerus. 103
Grunovius Sim. 8. 9
Gulielmus Brito. 85
Hainricus Rebdorfienſis. 24.27.40.53.54.65.67
von der Hardt *Herm.* 77
Hartknochius. 8. 9. 33. 43. 44. 73
Herenthals Petr. 83

Hilde-

Hildebrandus Joach. 5
Hoffmannus. 30. 64
ab Huyſſen L. B. 61
Indagine Jo. ab. 103
Joannes Evang. 54
Koenigshofen. 29.31.35.39.43.44.64.65.66.76
Krantzius. 6.11.19.27.32.34.43.44.54.68
Labbeus, 4
Lehmannus. 66
Lerbeke (Herm. de.) 1. 6. 83
Ludovicus Phil. 31
Lutherus. 36
Lutſaldus. 21
Maſenius. 67
Meibom. Henr. Sen. 3
— — *Jun.* 47
Meierus Jac. 32. 68
Meigerus. 44.54
Miechovia Matth. de. 61. 63
Mislenta. 8
Monte puellarum (Conr. de.) 7
Northovius Lev. 4.53
Olearius. 68
Paralipomena Urſp. 43
V. *Continuator.*
Pareus. 36
Paullini C. F. 2. 3
Paulinus Nolanus. 32
Perſona Gobel. 5.7.8.30.52.72
Plautus. 36

Pot-

Potgieſerus. II. 30
Pſalmi. 13
Raynaldus Odor. 13.14.43.53.54.65.70.76.83.84.89
Regum libri. 40
Reineſius. 85
Rolevinek Wern. 4.5 28.64
Schildis Herm. de. 103
Schiphowerus Jo. 103
Sigfridus Presb. 63
Sigonius. 6.32.57.60.76
Simonis Phil. 37.43.66.70
Statuta Fravenburgenſia. 73
Stero Henr. 14.43
Sulpicius Severus. 21
Thuanus. 74.75
Trithemius. 44.73
Viſſelbeccius Petr. 2.30.71
Vrie Theod. 44.72
Walſingham Thom. 69
Warton Henr. 7
Zieglerus H. A. 72

INDEX II.

RERVM & NOMINVM PROPRIORVM.

Academia Pariſienſis damnavit Flagellatores 90

Acephali 6
Albati. 8
Alexander IV. Pont. 82
in Anglia fuere Flag. 69
Annus Devotionis. 60
Antichriſtus. 83
Antiochus Antich. *ibid.*
Aquisgrani fuere Flag. 67
Argentorati. 62. 64. 65
Armilauſum quid. 32
Avinione fuere Flagell. 68
Balduinus Epiſc. Trev. 66
Bambergenſem diœceſin inviſerunt Flag. 65
Baſileæ fluere Flag. 67
Beguardi. 7
Beiden. 36
Bengeler. 2
Biedermann. 36
Biedevart. 36
Biragius Card. 74
in Bohemia fuerunt Flag. 68
Bononiæ. 60
Brixiæ. 59
Brulartus Petr. 74
Cantiones Flagell. 35. ſ.
Carolus IV. Imp. 67
Carolus Card. Lotharingus. 74
Caſtellus Jo. Bapt. 74
Cevernius Procanc. Galliæ. 74
Choriſantium ſecta. 5

Cir-

Circumcelliones. 5
Clerici inter Flagell. 29
Comes de Heldrungen. 29
Conradus Epiſc. Miſn. 63
Conſtantinus Flagell. 30. 67
Cracoviæ fuere Flagell. 63
Cremonæ 59
Creutz-Brüder. 4
Crucifigeri. 5
Crucifratres *ibid.*
Denarius Romanus & Saxon. 30
Devoti. 6. 60
Derthonæ fuere Flagell. 59
Docti inter Flagell. 28
Dogmata Flagell. 44. ſ.
Eccleſia materialis. 46
Edmundus Augerius. 103
Epiſtola cœlitus delata. 40. 41
Ferrerius Vinc. 76. ſ.
Flagellorum forma. 34
in Flandria fuere Flagell. 68
Flegel unde. 2. 3
Fratres in Albis. 8
Fratricelli. 7
Fridericus Marchio Miſn. 71. 72
Fruxini fuere Flagell. 62
in Gallia 73. ſ.
Genua 60
Gregorius XI. Pont. 70
Haſtæ fuere Flagell. 60

Hehr

Hehr. 36
Heldrungenſis Comes. 29. 71
Henricus III. Galliæ Rex 74
Hoſpitale S. Mariæ. 60
Hubertus Palavicinus. 59. 62
Januſſius Archiep. Gneſn 63
Joannes de Lovanio 90
Jouſa Georg. 75
Jubilæum promulgatum. 69
Judæi a Flagell. occiſi. 65
Kuckuc notat fraudem. 48
Magdeburgi fuere Flag. 67
Malefici inter Flag. 27
Maleficia ipſorum. 54
Manfredus Comes. 61
Mediolani fuere Flag. 59
Miſnæ - - - - 63. 67
Muckenthier Petr. 30. 71
Mulieres inter Flag. 27
Mutinæ fuere Flag. 59
Novariæ - - *ibid.*
Otto Archi-Ep. Magdeburg. 67
Ottocarus Bohemiæ Rex 63
Papiæ fuere Flag. 59
Pariſiis - - 74
Parmæ - - 59
Peruſiæ orti Flag. 57
Pirnæ fuere Flag. 67
Plagiferi. 4
Plagipatidæ. 4

Pœ-

Poenitentes.	6
Poncetus Maur.	75
Pragæ fuere Flag.	62
Prandotha Epiſc. Cracov.	63
Proceſſio Flagell.	34
in Pruſſia Flagell.	72
Pueri Flagellatores.	9
Rainerus Eremita.	30.57.60
Refutatio Flag.	90.ſ.
Regii fuere Flag.	59
Requiſita Flag.	30
in Romania fuere Flag.	58
Sangerhuſæ. —	27.73
Schmid Conr.	30. 72
Schonevelt Henr.	72
Servinus.	103
Sinibaldus Opizonus.	30.60
Spiræ fuere Flagell.	66.70
Taurini —	60
Thuanus Chriſt.	74
in Thuringia fuere Flag.	71
Treveris. — —	66
Tritarum ſocietas.	3
Truſa pro *fraude*.	47
in Tuſcia fuere Flag.	58
Veſtitus Flag.	32.33
Wilhelmus Dux.	71.72

FINIS.

COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE
HV
8613
S24

RARE BOOKS DEPARTMENT